

interrupte celebratum et 25 sessionibus absolutum. Concilium hoc tam fidem Ecclesiae Catholicae contra haereticos imprimis Novatores et Reformatores saeculi XVI per Canones enunciavit, quam etiam disciplinam ecclesiasticam per decreta de Reformatione in semper contestato Ecclesiae Catholicae sensu instauravit, jusque novissimum Ecclesiae constituit, cuius manutentionem Pius IV., et in dubio interpretationem Sixtus V. Pontifex distinctae congregationi, quae dicitur Interpretum Concilii Tridentini commisit.

### **§ 55. Valor corporis Juris Canonici et Concilii Tridentini quoad Graeco-Catholicos.**

Dogmata fidei Catholicae et leges morales omnes Christi fideles ad credendum et agendum obligant. Quod vero jus et disciplinam concernit, Corpus Juris Canonici et Concilium Tridentinum, praeter ea, quae decretis summorum Pontificum expresse etiam pro Graeco-Catholicis sive omnibus, sive aliquibus praescripta sunt, pro Graeco-Catholicis fontem Juris subsidiarium constituunt, in quibus Codex Ecclesiae Orientalis non sufficit, et Ritui etiam orientali congrua sunt. Ipsi etiam graeci-non-uniti confitentur se etiam acceptare Synodorum occidentalium quae congruunt. (Vid. § 23. Nr. 5.) Et libro 11. Basilicalium tit. 1. C. XI, haec leguntur: „De quibus causis nulla scripta lex est, custodiri oportet mores et consuetudinem. Quod si haec defererint, proxima propositae quaestioni similia sunt sequenda. Si nec haec quidem inveniantur, tunc jus quo urbs Roma utitur servari oportet.

## **PARS I.**

### **JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM.**

#### **SECTIO I.**

##### **JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM INTERNUM.**

#### **CAPUT I.**

##### **DE REGIMINE ECCLESIAE CHRISTIANAE.**

### **§ 56. Christus Regimen Ecclesiae suae constituit.**

Christus voluit Ecclesiam suam superstructam esse immobili fundamento, cui superaedificata, quibuscumque assultibus resistere valeat, et immota usque ad consummationem seculi perduret. Lucae C. VI. v. 47. et 48. „Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit; similis est homini aedificanti domum, qui fudit in altum, et posuit fundamentum super petram; inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere, fundata enim erat super petram. Sic et Christus aedificavit Ecclesiam suam super fundamentum firmum, sive petram; et ideo duratio ejus usque ad finem temporum secura est, quia fundavit eam Christus supra firmam petram; Petra autem erat ipse Christus 1-ae ad Corint. Cap. X. v. 4. collato cum Epistolae ad Epheseos C. 2. v. 20. et 21.: Superaedificati super fundamentum Apostolorum et

Prophetarum, ipso summo lapide angulari Jesu Christo, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.“ Lapis ergo principalis fundamentalis Ecclesiae est ipse Iesus Christus, qui acquisivit Ecclesiam suam sanguine suo, a qua indivulsus est, cui assistit per spiritum suum sanctum, spiritum veritatis, qui cum ea manet in aeternum.

Cum autem fundator Ecclesiae Jesus Christus consummato opere missionis suae in terra, ascensurus erat ad Patrem, ad cujus dexteram sedens munus Regium, sive collationis gratiarum exequeretur, aliud loco sui in terris reliquit principale fundamentum, distinctam a se petram, cui tota compages terrestris suae Ecclesiae inniteretur, et usque ad finem seculi immota perduraret.

### **§ 57. Christus Rectorem principalem suae Ecclesiae in terris, reliquit Petrum Principem Apostolorum.**

Juxta Evangelium secundum Mathaeum Cap. 16. v. 15. Dixit Jesus Apostolis: Vos autem, quem me dicitis, v. 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, v. 17. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.“ V. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (petra) et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam.“ Quorum verborum planus sensus est hic: adusque vocabaris Simon filius Jonae, a modo vero, quia Pater meus coelestis speciali revelatione confessionis meae, vel de me, te distinxit, vocaberis Petrus, sive petra, et super hanc petram, principale et immobile fundamentum,

aedificabo Ecclesiam meam, hoc est innixam servabo Ecclesiam meam, ut nec maxima potestas, qualis est portae inferi, praevalere possit adversus Ecclesiam meam. Hunc autem et non alium sensum adlati Christi verbis attribuit tota Ecclesia christiana orthodoxa et catholica; utque taceam confessionem Ecclesiae latinae, quae utique constat, solum confessionem Ecclesiae graecae protulisse sufficiat, quae, qua perpetua Traditio in libris ejusdem ritualibus, qui libri omnium tam praeteritorum, quam et futurorum seculorum totius Ecclesiae christianaee inconcussam, et immutabilem fidem exprimunt, deposita est.

### **§ 58. Confessio Ecclesiae graecae, Petrum Principem Apostolorum esse fundamentum Ecclesiae constitutum.**

Confessio Ecclesiae graecae qua traditio divina in libris ejus Ritualibus et Euchologicis pro testimonio fidei christianorum omnium seculorum deposita, Petrum constitutum esse petram et fundamentum principale Ecclesiae christianaee evidens est ex cultu, sive officio cultus divini pro die 16. Januarii, quo die Ecclesia memoriam recolit vinculorum Apostoli Petri, atque in Hymno (Svetilna) haec canit: „Post mutationem nominis vocavit (Christus) te Petrum, qua petram fortem et fundamentum Ecclesiae.“ Item eodem die: „Petra Christus, fidei petram principem discipulorum illustri ornat gloria.“ Frustra igitur Hellas Meniata in libro quem Lapis offendiculi, sive Fxpositionem originis et causae dissidii Ecelesiarum inscripsit\*) ad infirmandam hanc propriae Ecclesiae

\*) Editio Vratislaviae 1752.

confessionem adducit S. Augustinum, qui Sermone LXXVI. in Evangelium Matthaei Cap. XIII. ait: „Super hanc petram, quam cognovisti dicens, tu es Christus, aedificabo Ecclesiam meam, super me, idest ipsum filium Dei vivi, super me aedificabo te, non me super te.“ Confessio namque Ecclesiae graecae loco adducto, manifeste distinguit Petram Christum, a fidei petra principe discipulorum, qui juxta confessionem Graecae Ecclesiae ideo accepit a Christo nomen novum sive Petri, ut sit petra fortis et fundamentum Ecclesiae. Porro frustra idem Hellias Meniata allegat textum S. Pauli ad Ephesios: „Superaedificati super fundamentum Apostolorum“, si enim Apostoli sunt fundamenta, certe principale fundamentum Petrus est, quia princeps est Apostolorum, seu fundamentorum, cui omnes lapides fundamentales tamquam immobili saxo petrae innituntur, propterea illi soli nomen Petri dedit, ideo etiam S: Cyprianus: „super illum unum Petrum aedificavit Ecclesiam suam“; sive ille unus est principalis petra, cui innixi sunt ceteri Apostoli qua lapides fundamentales, qui primi a Christo doctrinam acceperunt, et hoc sensu S. Joannes in Apocalypsi Cap. XXI. vidit coelestem Jerusalem fundatam super duodecim fundamenta, super quibus nomina erant scripta duodecim Apostolorum, principatu tamen soli Petro competente, et ipso lapide angulari Jesu Christo Ecclesiae adstante, quo sensu S. Augustinus in loco perperam adhibito, ipsum quoque Petrum cum tota terrestri Ecclesia Christo superstructum esse dicere potuit. Ceterum Augustinus germanam verborum Christi interpretationem non excludit; unde enarratione in Psalmum 69. inquit: „Petrus, qui paulo ante Christum confessus erat Filium Dei, et in illa confes-

sione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.“ Et Serm. XV. de Sanctis: „Petrum itaque fundamentum Ecclesiae Dominus nominavit.... supra quod ecclesiastici altitudo consurgit.“ Item Psalmo contra Donatistas: „Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede.... ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.“ Utitur ergo quandoque S. Doctor et alia interpretatione, vel defectu notitiae linguae Syriacae, ut multi contendunt, vel potius ad indicandam firmitatis originem, quam consecutus est Petrus, eo ferme sensu, quo S. Leo Magnus (Serm. 3. de assumpt. ad Pontif.) exponens Christi verba — Tu es Petrus — sic Dei Filium loquentem inducit — Cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis.... tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.

### S 59. Argumentum 2-dum ex Sacris Scripturis pro Regimine Ecclesiae a Christo Petro collato.

Eodem Capite 16. v. 19-o Evangelii secundum Matthaeum procedit Christus in Sermone ad Petrum: „Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quocunque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quocunque solveris super terram erit solutum et in coelis.“ Ex usu autem loquendi orientali, qui tenet claves domus, habet potestatem in domo, est domus Rector; quam regendi potestatem amplius adhuc exprimit Christus per potestatem ligandi et solvendi, idest praecipiendi et prohibendi, absolvendi reum, et puniendi Petro distincte a reliquis Apostolis datam, et quidem potestatem ab illa potestate ligandi et sol-

vendi, quam Christus post resurrectionem omnibus Apostolis in communi dedit, distinctam, soli Petro competentem. Ideo etiam Petrum peculiariter totius gregis sui Pastorem constituit apud Joannem C. XXI. v. 15—17. tribus vicibus dicendo ei: „Pasce Agnos meos, pasce Oves meas.“ Imo ipsorum Apostolorum quoque Praepositum et confirmatorem constituit dicendo: „Ego oravi pro te Petre! ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ Quod ipsum unanimis confitetur Orientalis Graeca Ecclesia in officio cultus divini ad 29-am Junii, quae die etiamsi et Apostoli Pauli Ecclesia laudes celebret. Petrum tamen tamquam Primatem et summum Apostolorum veneratur, atque repetitis vicibus profitetur: quod Apostolum hunc Aeternus constituerit Praepositum, et Protochronitum; quod Christus divinae suae Ecclesiae gubernacula praeprimis ei commiserit, potestatemque ligandi et solvendi dederit; quod ei tamquam gloriose Apostolorum Antistiti post suam resurrectionem imprimis apparuerit; quod denique in praemium ter manifestati amoris dilectum suum Gre gem ei concrediderit\*), imprimis autem eodem die ad laudes sequentia canuntur: „Tu Petre secundum dignitatem petra vocatus es, dum fidem Ecclesiae immobilem Dominus confirmavit. et te superiorem Pastorem ovium suarum fidelium constituit, ideo et aperire portas coeli tibi concredidit, ut aperires omnibus, qui veniunt cum fide.“

Cum autem Graeci-disuniti adhibito licet omni

\*) Vide Levicki Sermo pastoralis ad Clerum Galliciae Leopoli 1841. item Menea pro Mense Junio edita Moscoviae 1705. p. 233. et sequentibus.

conatu Primatum Beato Petro Apostolo contra expressum sacrarum scripturarum et Ecclesiae universae sensum abjudicandi eo solum scopo, ut tanto magis consequentiam Primatus Romanorum Pontificum abnegarent, et suum peccatum scissionis a principe apostolica sede justificarent, in probando defecerint; et nec Cypriano dicenti: „super illum unum (Petrum) aedificat Christus Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas, neque Chrysostomo asserenti: „Post permicosum illum casum (sive abnegationem) Petrum ad pristinum evexit honorem, primatumque universae tradidit Ecclesiae; sed nec propriae quoque confessioni, quam cum tota Ecclesia emitunt in oratione absolutionis defuncti his verbis: „Domine Jesu Christe DEUS noster, qui super Principem discipulorum et Apostolorum tuorum Petrum aedificasti Ecclesiam tuam“, resistere valentes, prosequuntur et dicunt\*): Non est necesse ut adcuratius perquiramus, qualis inter ceteros Apostolos erat Petrus. Esto fuerit ille ejusmodi, qualem ajunt Latini fuisse, imo etiam major: quid id ad Papam, quod inde commodum ad Romanum redundat Episcopum? Petrus nempe solus erat Vicarius Christi, et quanta Christus, donec ageret in terris, inter Apostolos praeditus fuit potestate, tantam Petrus, posteaquam ille sublimis raptus esset, inter eosdem obtinuit. Quid inde colligitur? ut scilicet etiam Papa, qui Petro successit, simili modo eandem inter alios Praesules habeat potestatem? Non sane, respondent disuniti; Catholici autem orthodoxi orientales respondent: „Ita sane.“

\*) Helias Mineata Lapis offendiculi. pag. 131. Nr. 9.

**§ 60. Primatus Regiminis Ecclesiae a Christo Petro collatus, perpetuus est in Ecclesia, eiusque Romanus Pontifex heres est.**

Beato Petro Apostolo collatum a Christo Domino munus supremi universalis totius dominici gregis Pastoris, Doctoris, et Rectoris in Ecclesia usque ad consummationem saeculi perdurare debet, et administrationem ejus successores Beati Petri Principis Apostolorum Pontifices Romani inalienabiliter tenent, seu quemadmodum enunciavit sacro sanctum Concilium Florentinum: „Definimus sanctam apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.“ Nam 1) *Omnibus in confessio est, Christum in Petro, super quem unum (juxta Cyprianum) aedificavit Ecclesiam suam relinquere voluisse fundamentum firmum et immobile Ecclesiae suae, et quidem non solum pro tempore, quo Petrus viveret, sed pro toto tempore durationis Ecclesiae, usque ad consummationem saeculi, secus, si cum Petro, immobilis petra et fundamentum cessare debuisset, amoto fundamento corruere debuisset etiam superaedificatum, seu tota Ecclesia.*

2) Non minus omnes confitentur, Christum unitatem Ecclesiae in Petro, ejusque munere universalis Ecclesiae Doctoris, et principalis Gubernatoris conser-

vari voluisse, juxta Cyprianum dicentem: „Exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et una cathedra monstretur.“ Et S. Jeronymum: „propterea unus inter duodecim constituitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.“ Atqui unitas Ecclesiae, perpetua atque essentialis est Ecclesiae nota, juxta Symbolum: „Credo in unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam“; ergo, ut Ecclesia semper una sit, etiam Primatus, tamquam conditio sine qua non, perpetuus esse debet. Ideo ubi Petrus, ibi semper erit et Christi Ecclesia, cuius criterium Princeps Apostolorum in successoribus suis semper vivens est et erit usque ad consummationem saeculi. Propterea S. Cyprianus: Qui cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat\*).

**§ 61. Petri Principis Apostolorum in cathedra et munere successor est Romanus Pontifex.**

Romanos Pontifices solos tenere cathedram Primatus Petri, eosque solos esse Petri in munere summi Ecclesiae Pastoris successores, nullus diffitetur; nisi qui totam historiam ignorare vult. Nec ullus alter Patriarcha, vel Episcopus, nec Antiochenus, cuius tamen sedem Petrus primus tenuit, Petri cathedram et munus sibi arrogare praesumxit, quam Romanus Pontifex, quem solum universalis Christi Ecclesia muneris Primatus a Christo Petro collati successorem, et heredem agnovit Ideo SS. Patres Romanum Pontificem appellant: petram Ecclesiae principalem, Romanam Ecclesiam:

\*<sup>o</sup>) Vid. Natal. Alex. Hist. saeculi 13. et 14. dissert. 12.

Ecclesiarum omnium matrem, et ex qua unitas sacerdotalis exorta est; Ecclesiam potentiores, cum qua necesse est convenire omnes, qui sunt undique fideles; Petri cathedram, contra quam nunquam praevallitiae sunt superbae inferni portae; ex qua profluxit quidquid in Episcopis autoritatis est; ex cuius firmitate firmitas pendet Episcorum et Episcopatus. Haec, aliaque sexcenta ejusmodi patrum effata ait Peroue<sup>1)</sup>, quibus Romanam Sedem, seu Romanum Pontificem: Unitatis centrum, unitatis originem, sedem apostolicam per eminentiam appellant; firmamentum a DEO fixum et immobile, Episcopum Episcorum, Patrem Patrum etcet. apertissime evincunt, agnatum semper, constanterque fuisse, primatum Petri in Romanis Pontificibus ejus successoribus perseverantem adeo: ut monumentorum omnigenorum copia veluti obruamur.

Verum non solum verbo et doctrina, sed etiam facto agnovit Ecclesia successionem Romani Pontificis in Jurisdictione Primatiali Petri. Ab exordio namque Ecclesiae deprehendimus muneric Primatus Ecclesiae per Romanos Pontifices exerciti facta, sive cum errores, haeresesque damnarunt, sive cum disciplinam universalem sanxerunt; sive cum exortas controversias ubique gentium diremerunt; sive cum Episcopos longe dissitos, tum in Oriente, tum in Occidente obedire detrectantes minis perterrituerunt, aut etiam deposuerunt, sive dum alias idgenus auctoritatis actus exerceuerunt, quibus referta est ecclesiastica trium priorum saeculorum historia<sup>2)</sup>. Ita se gesserunt Pontifices Ro-

<sup>1)</sup> Perone Theolog. Dog. De locis Theolog. p. 282.

<sup>2)</sup> Apud Perone de Locis Theolog. pag. 281. Nr. 573.  
Nota 4.

mani in Schismate Donatistarum, in Schismate Alexandrino, et Antiocheno; ita in haeresibus, quae exortae sunt vel a primis Ecclesiae saeculis: Gnosticorum, Pauli Samosateni, Theodori Coriarii etcet. Dionysius Alexandrinus cum in suspicionem haeresis venisset, apud Dionysium Romanum accusatus est. Id ipsum contigit, cum enatae sunt haereses: Ariana, Macedoniana, Nestoriana, Eutychiana etcet. Nullum unquam alicujus momenti negotium agitatum est, quod illico delatum non fuerit ad Romanum Pontificem, uti testis locupletissima est universa historia ecclesiastica. S. Basilus ep. LXIX., ad Athanasium: Nobis autem inquit, operet pretium esse visum est ad Episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat, et consilium daret.... Ipse hoc negotium suo marte aggrediatur.“ Et in Epistola LXX. ad Damasum, opem ejus implorat in difficillimis circumstantiis, eumque excitat ad exemplum praedecessorum suorum.

### § 62. Confessio Ecclesiae Graecae quoad Successionem Romani Pontificis in Primatu Petri.

Ecclesia Orientalis, sive Graeca confitetur Beatum Petrum, stabilem muneric sui sedem Romam fixisse. Die 16. Januarii in memoriam vincolorum ejus canens: „Romam non deserendo ad nos venisti per honorata vincula tua, qui prae ceteris Apostolis primam sedem tenuisti.“

In Directorio, seu codice Juris Ecclesiae Graecae, quo Graeci-non-uniti hodiecum utuntur, in Praefatione ad Canones Apostolorum haec leguntur: Scripti fuerunt hi Canones sanctorum Apostolorum per Clementem Magnum Martyrem, qui erat successor Magni Petri,

qui fuit Episcopus Romae tertius post Doctorem Petrum, cuius Linus accepit Cathedram. Hujus S. Clementis memoriam recolit Ecclesia Graeca die 25. Novembris, atque in officio pro hac die in Meneis eadem Ecclesia Graeca sequentia praedicat: quod S. Clemens fuerit discipulus Primi Apostolorum, et in hujus, seu Petri petra semetipsum tamquam honorabilem petram aedificaverit; quod ab occidente tamquam sol radians illuxerit, sua doctrina terram illustraverit, et orientales partes attigerit; quod per omnes fines terrae divina paecepta praedicaverit; quod tamquam aurora solis universo orbi doctrina sua praeluxerit; quod divinas leges omnibus explanaverit; omnemque disciplinam ecclesiasticam perfecerit; quod ceu discipulus Petri et sectator, etiam sedis ejus successor vere evaserit; quod demum Ecclesia, paecepta ab eo promulgata tamquam praeclarum suum ornamentum spectet, et in ipso glorietur<sup>1</sup>).

Memoriam autem S. Sylvestri Pontificis Romani recolit Ecclesia Graeca die 2-a Januarii, atque de eo sequentia praedicat: quod thronum primi Apostolorum exornaverit, quod tamquam divinus (a Deo constitutus) consecratorum patrum (Episcoporum) Antistes sanctam doctrinam firmaverit, et haereticorum impia ora obstruxerit<sup>2</sup>). Et in Cantico (Icos) canit Ecclesia Graeca: „Sedem Principis Apostolorum ditando, servum DEI te exhibuisti Sylvester!

S. Leonis Romani Pontificis autem memoriam celebrans Ecclesia Graeca die 18. Februarii, sequentia

<sup>1)</sup> Menea Moscoviae edit. pag. 303.

<sup>2)</sup> Menea Moscoviae edit pro Mense Januario pag. 17. et sequent.

epiteta ei adscribit: Caput orthodoxae Ecclesiae Christi; Oculus fidei et firmum fundamentum; Senior summi Collegii (Episcoporum) Regula doctrinae certa; sedis primariae Petri possessor; columna orthodoxae Christi Ecclesiae; omnium haeresum debellator; Petri successor, ejus Primatu dotatus, et fervente zelo praeditus<sup>3</sup>).

Sancti autem Martini Pontificis saec. VII. memoriam faciens Ecclesia Graeca, die 14. Aprilis, in cultu ejus sequentia exprimit: quod S. Martinus divinam sedem Petri exornaverit, et in ipsius Petri petra immobilem Ecclesiam conservaverit.

Denique S. Gregorii Papae II., qui saeculo VIII. sedem Petri illustravit, Ecclesia Graeca in Meneis ad 12-am Martii sequentem in modum memoriam recolit: DEUS vocavit te, ut sis summus Episcopus ejus Ecclesiae, et successor Petri Principis Apostolorum. Ideo S. Petrus Chrysologus in epist. ad Eutich. Hortamur te, inquit, Frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt obedienter attendas, quia beatus Petrus, qui in propria sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.“

Sanctus autem Theodorus studita, cuius memoriam recolit Ecclesia Graeca die 11. Novembris, in cuius cultu eum celebrat, qua orthodoxae veritatis defensorum, columnam et arcem orthodoxae fidei, qui doctrina sua omnes illuminavit, et impia haereticorum dogmata repressit; hic inquam tantus et sanctus Doctor Ecclesiae Graecae, scribens ad Leonem III. ineunte saeculo IX., quem Patrem Patrum, et Papam Apostolicum nominat, in exordio Epistolae haec exprimit:

<sup>3)</sup> Menea pro Mense Februario, Levicki serm. pastoralis p. 4.

„Quandoquidem Petro Magno Christus Deus post claves regni coelorum, pastoralis etiam principatus constituit dignitatem; ad Petrum utique, vel ejus successorem, quidquid in Ecclesia Catholica per eos innovatur, qui aberrant a veritate, necesse est referri. Quod nos quoque humiles, et minimi a sanctis olim Patribus edocti, postquam in Ecclesia nostra novitas quaedam nuper exorta est, per simplices literas nostras ad supremae Beatitudinis tuae Angelum de ea referre nos debere arbitrati sumus.“ In ulteriori autem contextu ejusdem Epistolae suae, eundem Pontificem: divinissimum omnium capitum caput. — Archipastorem Ecclesiae, quae sub coelo est; divino pastorali Principatu insignitum diversis vicibus appellat<sup>1</sup>).

Idem autem S. Doctor Ecclesiae Graecae adversus Iconomachos opem exposcens in sua ad Paschalem Romanum Pontificem scripta Epistola, Pontificem appellat: Apostolicum Caput, a DEO praepositum, Pastorem ovium Christi, janitorem regni coelorum, petram fidei, supra quam aedificata est Catholica Ecclesia, Petrum, utpote Petri sedem exornantem et gubernantem.

Denique idem S. Doctor Ecclesiae Graecae ad fratres propter Christum dispersos, nec non in carceribus et exiliis detentos scribens, hortatur eos, ut haereticorum communionem fugiant, atque Ecclesiae Catholicae et universaliter consentiant, „haec enim Constantiopolitana, inquit, Ecclesia segmentum est haereticum, cui solemne est ab aliis frequenter abscindi<sup>2</sup>).“

<sup>1)</sup> S. Theodor. Studit. Epist. græcce et latine Parisiis 1696. Libro 1-o Epistola 33. et sequ.

<sup>2)</sup> Eundem Epistolar. Libre II. Epistola 8. pag. 380.

Ecclesia proinde Orientalis Graeca, primitivæ traditioni sua, quæ in propriis euchologicis et ritualibus sacris libris pro omni tempore deposita est, conformiter profitetur id, quod Patres orientis pariter ac occidentis in Synodo Florentina, synodaliter quoque enunciarunt, videlicet: Romanum Pontificem successorem Principis Apostolorum Petri, et heredem potestatis ejus in universam Christi Ecclesiam a Christo obtentæ, esse, petram fidei immobilem, et fundatum Ecclesiae perpetuum,“ sine quo nullum Concilium oecumenicum celebratum est, et sine quo nec leges pro universa Christi Ecclesia obligantes ferri possunt; proinde supremum esse Legislatorem, et Judicem omnium Pastorum, et Christi fidelium, quemadmodum Synodus Sardicensis Canone 3-o indicavit: „Quod si aliquis Episcoporum per Episcopos provinciae condemnatus confideret innocentiae suae, et revideri cuperet causam suam: honoremus ait Concilium, memoriam Apostoli Petri, et scribatur Julio Episcopo Romano, qui judicet causam.“ Et re ipsa historia teste, quemadmodum Pontifices Romani. Sanctos Episcopos Athanasium, Chrysostomum, et Ignatium injuste persecutos sedibus suis restitui curarunt, ita reos Episcopos apostolica potestate sua per virtutem clavum a Petro hereditatarum, sedibus suis amoverunt; de quo confessionem facit Ecclesia Graeca in Menea edita Moscoviae 1795. ad diem 8-am Aprilis, in laudes S. Papæ Coelestini in Synaxario diei, „quod impiam haeresim Nestorii perstrinxerit, et hunc in DEI param virginem blasphemantem Patriarcham Constantinopolitanum deponi jussérít.“ Similiter in laudes Agapeti Papæ, „quod Antimum Patriarcham Constantinopolitanum haeresi Eutychiana infectum sede patriarchali privaverit, et in locum ejus Mennam Patriarcham constituerit.“

**§ 63. Confessio Constantini Magni, primi Imperatoris Christiani,**  
**quem Ecclesia Graeca Sanctum et Apostolis aequi-**  
**parandum habet, de Successione Romani Pontificis in Primatu Petri a Christo instituto.**

Etiam si Edictum sequens Constantini juxta communem opinionem saltim ita, prout in Graecis Codicibus prostat, falsum et suppositum sit; illud tamen notitiae causa, et quoniam Graeci illud acceptarunt, qua documentum partis contrariae pro Primatu Romanorum Pontificum in munere per Christum Petro collato successorum inserimus \*).

De Confessione Constantini Magni, primi Imperatoris Christiani, quoad Primatum Romanorum Pontificum, seu successionem in munere S. Petro Apostolorum Principi, seu Edicto occasione translatae sedis Imperatoriae Constantinopolim, Matthaeus Blastares, in suo Syntagmate Alphabetico, quod Beveregius in Synodico suo Tomo II. luci publicae tradidit, pagina 117. ad Literam E haec profert: „Sed dum in hac parte sermonis sum, num Constantini Magni Edictum silentio praeteribo? et quomodo inscritiae reprehensionem non incurram, cum aequa absurdum existimo, quae non decet enarrare, et pulchra silentio dare; illo enim (Edicto), nec religiosius quidquam videat aliquis, nec quod publice ut credo, publicari dignius sit.“ Subjungit dein ipsum Edictum Confessionis Constantini Magni, synoptice tamen; quod hic loci per extensem exceptum e Nomocanone Photii. Tomo II-o Biblio-

\*) Vide Biener de collectionibus Canonum Eccl. Gr. § 14.

thaecae Juris Canonici Veteris, pag. 919. Tit. VIII.  
 hunc in modum sonat \*):

**Edictum Constantini Magni.**

Cum omnibus satrapis nostris, cum universo senatu, cum praefectis, denique cum omni populo, potestati Romanae Majestatis subdito, conveniens esse judicavimus, ut quemadmodum S. Petrus ex persona Filii DEI (Ecclesiae Caput) est in terris; ita etiam Episcopi, qui successores sunt Principis Apostolorum, primariam in terris potestatem habeant; (et quidem) amplius quam nostrae Glorie Imperatoria Majestas habeat. Atque id quidem concessum est a nobis, Augustaque nostra conjugi: ac volumus, ut ipse Princeps Apostolorum, ejusque successores, ex ipsius persona primi apud DEUM Patres sint, atque defensores. Et quemadmodum Imperatoriae nostrae Majestatis potestas colitur et honoratur: ita sancimus, ut et sancta Romanorum Ecclesia colatur, et honoretur: atque supra quam Imperatoria nostra Majestas, terrenumque solium, sancta sedes sancti Petri laudibus cumuletur, atque exaltetur. Ac data jam ipsi potestate, majestatisque dignitate, confirmato deinde iudicio sancimus: ut primariam illam habeat potestatem, atque Caput sit quatuor soliorum, Alexandrini vide-licet, Antiocheni, Jerosolymitani, et Constantinopolitan: ac vero breviter omnium Ecclesiarum universi terrarum orbis. Ut etiam qui sanctae Romanorum Ecclesiae Episcopus futurus est, gloriosus esse debeat,

\*) Hoc Edictum Const. Magn. ad Calcem etiam Comm. Directorii in sua integritate adjectum est. Vide Joannovits Principia Juris ecclesiastici Ecclesiae orthodoxae Orient. Neoplatac Tom. 1. pag. 28.

et supra omnes totius mundi Sacerdotes excelsus. Ut postremo, si quid ad cultum DEI, christianamque fidem instaurandam, ac constabiliendam pertineat, id ab ipso dijudicetur. Aequum enim est, ut illic sacra lex originem et initium sumat, ubi sacro sanctus legislator Servator noster Jesus Christus beatum Apostolum Petrum sedem obtinere jussit, crucis afflictionem sustinuit, beataeque mortis calicem bibit: et ubi ille etiam imitator magistri atque Domini sui factus est. Ut item illic inclinent gentes capita sua, propter confessionem nominis Christi, ubi illarum Doctor beatus Apostolus Paulus extenso propter Christum collo Martyrii coronam accepit: ut insuper usque ad finem mundi illae doctorem quaerant, ubi sanctorum ejus reliquiae quiescunt. Ad extreum vero, ut quo loco superbo illi Regi servivimus, eodem supini ac in terram expansi coelestis Regis et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi officiis deserviamus. Tradimus itaque ipsis sanctis Apostolis, beatis Dominis meis Petro et Paulo, ac post illos beato Sylvestro patri nostro, magno Episcopo, et catholico Papae urbis Romae, omnibusque successoribus ejus, qui ab hodierno die usque ad finem mundi in solio beati Petri praesidebunt, Imperatorium nostrum palatum Lateranense, quod superat atque vincit totius mundi palatia: praeterea etiam diadema, sive coronam capitum nostri, tum lorum quoque et humerale, quod Imperatoria Majestatis collum cingit: simul etiam purpuream chlamydem, et tunicam coccineam, omniaque Imperatoria indumenta, nec non Imperatoriorum jumentorum insignia: Similiter etiam Imperatoria sceptra, omnia signa, banta, reliquaque Imperatoria Majestatis ornamenta, et potentiae nostrae gloriam. Insuper sancimus,

ut viri religiosissimi, Clerici multorum ordinum, qui eidem sanctae Romanae Ecclesice deserviunt, ornentur, et habeant illam sublimitatem et magnificentiam, qua ornatus est magnus noster Senatus, Patricii nempe, et Consules, et reliquae dignitates. Et quemadmodum Imperialis exercitus ornatus est, ita sancimus: ut et sanctae Romanae Ecclesiae Clerus ornetur. Ad haec, quomodo Imperatoria potestas multis officiis exornatur, cubiculariis, ostiariis, et excubitoribus, sic etiam sanctam Romanorum Ecclesiam exornari volumus. At vero ut Episcopalis splendor in omnibus praeluceat, etiam hoc sancimus, ut clerici sanctae Romanorum Ecclesiae caballos candidis linteis ornatos equitent. Et quemadmodum Senatus noster calceamenta sive sandalia ex linteis candida gestat, ita etiam illi; — ut eodem modo coelestia, quo terrestria ad laudem DEI spectent. Supra omnia in honorem et gloriam ipsius Domini, et servatoris nostri Jesu Christi, ipsi sanctissimo Patri nostro Sylvestro Episcopo, et Papae urbis Romae, omnibusque successoribus ejus beatis Episcopis, in eadem magna, atque Apostolica Ecclesia potestatem damus et concedimus, ut si quis ex Senatu, suapte sponte, et lubente voluntate Clericus fieri, numeroque sanctorum clericorum numerari velit, nullus omnino illi impedimento esse audeat. Sancivimus ad haec, ut et ipse pius Pater noster Sylvester, magnus Episcopus, et omnes Episcopi successores ejus, gestarent diadema, sive coronam ex puro auro, et in aestimabilibus margaritis, quam ex Capite nostro ipsi tradidimus, gestarent autem in Capitibus suis ad laudem DEI, et in honorem sancti Principis Apostolorum. Verum ipse beatissimus Papa Sylvester super coronam, sive papalethram, quam ad gloriam DEI et sancti

Petri habebat, nolebat portare coronam meam, vel margaritarum plenam. Nos vero propterea, quod sanctus Sylvester auream coronam respuit, sancto illius capiti radiantissimum lorum, sacro sanctam resurrectionem denotans, nostris manibus imposuimus; et arrepto adorationis, timerisque sancti Petri ergo, equi ipsius freno, statoris officium fecimus, sancientes, ut omnes successores ejus, ad imitationem Imperatoriae Majestatis loro utantur in processionibus. At vero id ideo, ut ne dignitas Episcopalis contemnatur. Quin etiam ampliore, quam Imperatoria nostra terrena Majestas, potentiae quoque splendore adornetur: ecce palatum nostrum ut praediximus, et urbem Romam, nec non universae Italiae occidentaliumque Regionum Praefecturas, loca, atque castra, praedicto beatissimo Episcopo et patri nostro Sylvestro Papae tradimus, et ipsi ejusque successoribus, Imperatoriam imperandi auctoritatem, et potestatem permittimus, atque eam, per hanc divinam jussionem, et pragmaticam constitutionem firmam permanere sancimus, virisque sanctae Romanorum Ecclesiae in aeternum concedimus. Quorsum etiam utile fore consideravimus, si Imperatoriam nostram Majestatem ejusque potentiam in Orientales regiones transferremus, et in Byzantino agro, loco commodo, sub nomine nostro civitatem erigeremus, atque ibi nostram Majestatem collocaremus. Quandoquidem, ubi primarium Sacerdotium, christianaque religionis caput coelitus est constitutum, ut ibidem terrenus Princeps dominatum habeat, haud justum fuerit. Qua de causa hoc Imperatoriae nostrae Majestatis contextu, propriis manibus, in venerandas sancti Apostoli et Principis Petri reliquias prostrato ac reposito, haec nos omnia illaesa conservatuos illic

juravimus, et successoribus nostris Imperatoribus, in commentariis nostris eadem servanda tradidimus. Patri itaque nostro, sancto et catholico Episcopo, et Papae, atque per ipsum omnibus successoribus ejus Episcopis, annuente Domino nostro et Servatore Jesu Christo, omnia ante scripta recte in aeternum conservanda tradidimus<sup>1)</sup>.

Addit autem Scholium: Quia autem secunda Synodus dedit Archi-Episcopo Constantinopolitano omnia Papae Romani privilegia, conati sunt nonnulli Patriarchae, uti ille Cerulas et dominus Michael, et alii eadem sibi privilegia arrogare, sed eis non recte cessit etcet. (Nomocanon Photii ibidem.)

#### § 64. Conclusio ex praecedentibus.

Qui igitur nec beatum Apostolum Petrum, principem potestatem in universum Christi gregem, eamque distinctam ab ea, quae in communi collegio Apostolorum data est potestas ligandi et solvendi accepisse, nec Petri successorem Romanum Pontificem in munere summi Pastoris gregis totius Christiani, et potestate per claves regni coelorum acceptas obtenta, esse, recognoscunt, communi traditioni et confessioni totius Orientalis Ecclesiae contradicunt, nomen orthodoxiae quae Ecclesiae, sed non illis competit, usurpant, et alieni sunt a sancta matre Ecclesia Catholica, cuius criterium Petrus est in suis successoribus Romanis Pontificibus semper vivens usque ad finem seculorum. „Ubi Petrus, ibi est Christi Ecclesia“<sup>2)</sup>. Per Petrum, et tantum cum Petro est Ecclesia Christi vera, una, sancta, catholica,

<sup>1)</sup> Vide etiam apud Gratian D. P. I. Dist. 96. C. XIV.

<sup>2)</sup> S. Ambrosius.

et apostolica; sine Petro namque Ecclesia in Principe Apostolorum deficeret, ergo non haberet integrum Apostolatum, (qui secus per secessionem Judae, aut plurium ei similiū nihil detrimenti aut defectus patet). Unde consequenter advertit Petrus de Marca Archi-Episcopus Parisiensis (opere suo de Concordia Sacerdotii et Imperii, pag. 127: „Penes illas Ecclesias non esse indubitata Spiritus Sancti praesidia in dirimendis de fide controversiis, quae alienae sunt a communione Petri. Propterea sequitur, plurium Ecclesiarum infaustam scissionem, quae lugendo schismate vel impia haeresi corpus Ecclesiae universalis dividit, non impedire, quin illae, quae supersunt, conjunctae cum petra (cathedra Petri) corpus universum repraesentent, et absque suspicione erroris fidem tueri decretis una cum Petri cathedra firmiter et infallibiliter possint, cum Ecclesia supra Petrum aedificata promissionibus Christi nitatur ad vincendas portas inferni.“ Recete proinde dicit S. Cyprianus: „qui Cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat.“ Atque idem S. Cyprianus in libro de Unitate Ecclesiae porro dicit: „Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulterae conjungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia, qui reliquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest DEUM Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra Arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit. Monet Dominus et dicit: „Qui non est mecum, adversus me est, et qui non mecum colligit, spargit.“ „Qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit; qui alibi praeter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.“ Et superius idem S. Cy-

prianus Nr. 4: „Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime nos Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus.“

Utinam ergo haec sancti Cypriani verba cordi sumerent universi Christiani orbis Episcopi, atque ad restituendam Ecclesiarum concordiam unitis viribus cooperarentur, quo fieret, ut etiam ligamen inter Christianos populos et Principes fortius esset, omnesque Christiani unam constituerent, prout destinationem habent Christianam familiam; tunc beati essent Principes ut fratres, atque populi ipsis subjecti, et glorificaretur nomen Domini in Gentibus, Religio Christi propagaretur usque ad fines terrae, et impleretur vaticinium Jesu: „erit unus Pastor et unum Ovile“; qui etiam dixit: „Vae illi, per quem venire potuit Regnum DEI et non venit.“

Regnum DEI autem juxta S. Paulum Apostolum est concordia pax et charitas in Spiritu Sancto; qui ergo Regnum DEI promovere vult, ad unitatem et concordiam Ecclesiae pro viribus conferat; hinc recognoscat auctoritatem et potestatem a DEO in Ecclesia ad unitatem ejus conservandam constitutam, quemadmodum semper agnovit Ecclesia Orientalis, et Patres nostri; quam et ipsi eruditissimi Protestantes recognoscunt. Pro exemplo serviat Leibnitzius, ob eruditionem et profunditatem ingenii suo aevo celeberrimus, in omnique poene scientiarum genere solide versatissimus, totius Germaniae decus, qui in suo Systemate Theologiae pag. 298. confitetur: „Pertinent autem ad Pastorum Ecclesiae Hierarchiam non tantum Sacerdotium, et ejus praeparatorii gradus, sed et Episcopatus, et ipse Primatus maximi Pontificis, quae

omnia divini juris esse, credendum est.“ Et an non et Ecclesia antiqui foederis summum habuit Pontificem? imo quotunque societas, sive religiosae, sive etiam civiles ab exordio mundi coaluerunt, unum in apice semper habuerunt. Quem ordinem etiam in Ecclesia conspicimus, Presbyteris praepositus est Proto-Presbyter, his Episcopus, Episcopis Metropolita, his Patriarcha, et horum Apex summus Pontifex.

Non oggerant ergo dominatum summi Pontificis Romani, potestatem enim quam exercet, qua universam Christi Ecclesiam regit, ab ipso DEO habet; atque potestas illa non dominatus sed ministerium est. Verum potius damnent eos, qui vere dominatum quaerunt, independentiam ab Ecclesia et capite ejus, et similes volunt fieri Altissimo; quod opus Angelorum lapsorum est, qui primi Schisma fecerint in coelo, et eorum asseclae Schisma faciunt in terra.

### § 65. Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, sunt regiminis Ecclesiae Petro et successoribus Romanis Pontificibus collati consortes.

Etiamsi Christus Beatum Petrum, et successores ejus petram, seu fundamentum firmum et perpetuum Ecclesiae sua, supremumque totius dominici gregis, sive Ecclesiae Pastorem constituerit; praeter illum tamen adhuc undecim Apostolos vocavit, et his quoque munus Evangelium praedicandi, potestatem ligandi et solvendi, ac sacra Mysteria administrandi contulit, atque ad hoc munus exequendum Spiritum Sanctum, spiritum veritatis, qui maneat cum ipsis in aeternum, sive etiam cum successoribus Apostolorum Episcopis, dedit, per huncque Spiritum Sanctum iisdem

se usque ad consummationem saeculi ad futurum promisit; Mathaei C. 18. v. 18; Ammen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Et Joannis Capite 20. v. 21: Dixit ergo eis (Apostolis) iterum Jesus: Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos, v. 22. et 23. Haec cum dixisset, insuflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt.“ Et S. Paulus in Actis Apostolorum Cap. XX. v. 28: „Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.“ Hinc, in Concilio Carthaginensi anno 255. dicunt congregati Episcopi: „Apostolos, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes“<sup>1)</sup>. Et in alia Synodo: „Manifestata est inquit Episcopi, Domini nostri Jesu Christi sententia Apostolos suos mittentis, et ipsis solis potestatem sibi a Patre datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam DEI gubernantes“<sup>2)</sup>. Item S. Hieronymus: „Apud nos inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent: et Episcopi omnes successores Apostolorum sunt“<sup>3)</sup>, quod et Concilium Tridentinum expressit Sessione XXIII. c. 4. de ordinatione<sup>4)</sup>. Episcopi igitur qua successores Apostolorum immediate a Christo obtentam potestatem universam Ecclesiam regendi, sicut Apostoli cum

<sup>1)</sup> Apud Hard. Tom. 1-o Concil. pag. 178.

<sup>2)</sup> Apud S. Augus. C. 7. de Bapt. contr. Donat. C. 43.

<sup>3)</sup> Epistola 53. et 85.

<sup>4)</sup> Confer. Natal. Alex. Hist. Eccl. Dissert. XII. et XIII. in saec. XV. et XVI. Tom. 9. pag. 623.

Petro, ita Episcopi cum Petri successore summo Ecclesiae pastore Romano Pontifice conjuncti collegialiter considerati, idest collective, sive in Synodo congregati, sive non congregati cum summo Ecclesiae capite communicative exercent. Et hoc sensu sumenda sunt etiam verba sancti Cypriani in Libro de unitate Ecclesiae: „Nemo fraternitatem fallat, Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur,” et S. Basilius Epistola 77. Romano Pontifici scribit: „Non potestis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore (collegio) constituti sumus, non estis nobis necessarii.” Episcopi tamen dici non possunt successores Apostolorum, nisi quatenus Petro, idest sedi apostolicae uniti sunt; vera enim apostolica successio non datur extra Ecclesiae unitatem.

**§ 66. Episcopi in regimine Dioecesum Romano Pontifici subordinatam, et ad limites Dioecesum restrictam potestatem exercent.**

Jam aevo Apostolorum, cuilibet Episcopo certum assignatum fuisse gregem colligitur ex Epistolae 1-ae Petri c. 5. v. 2.: „Pascite, qui in vobis est, (seu commissum vobis) gregem DEI.” S. Paulus ad Titum C. 1. v. 5.: „Ideo reliqui te Cretae.” S. Joannes in Apocalypsi II. 1. 8. 12. 18. commemorat Angelos Ecclesiarum, sive Episcopos Ecclesiarum Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae. Et Synodus Antiochena anno 341 statuit: „Ut secundum antiquam a patribus regulam constitutam Episcopi ea tantum agant, quae ad suam Dioecesim pertinent, possessionesque subjectas.” Cum autem Christus totum suum gregem Petro pascendum concrederit, dicendo: pasce oves meas, pasce agnos

meos, manifestum est, omnium singularium fidelium, et particularium gregum, quos singuli Episcopi regunt supremum Pastorem simul esse Petri successorem Romanum Pontificem; ut adeo nihil evidenter sit, quam Romanum Pontificem in singulas Dioeceses, et relate ad singulos fideles, ordinariam atque primam habere jurisdictionem, ac Episcopos salvis universalis Pastoris, Doctoris, Rectoris, Legislatoris et Judicis Pontificis Romani iuribus, jurisdictionem suam Episcopalem per consecrationem et acceptum Spiritum Sanctum acceptam in suis gregibus ordinarie exercere, seu Pontificem et Episcopos potestatem a Deo accepisse regendi Ecclesiam; Pontificem quidem Romanum eam accepisse in tota sua plenitudine et universalitate super omnem Christi gregem, et cum praerogativa independentiae et summae superioritatis; Episcopos vero accepisse, ut illam exerceant in tota sua universalitate junctim cum capite Romano Pontifice in concilio generali; in propria autem Dioecesi coarctatam quoad plenitudinem et quoad subditos, semper tamen servata perpetua unione cum supremo Ecclesiae capite Romano Pontifice atque ab eo dependentia. Et sic solum possibile est, quod S. Cyprianus dixit: „Etsi pastores multi, grex tamen unus est”; quia omnes pastores in apice suo summo Pontifice et pastore desinunt. Secus, quomodo Imperium unum, si plures corregentes ab invicem independentes gubernaverint? Dices forte, summum synedrium Synodus Oecumenica conservabit unitatem Regiminis in Ecclesia, sed Christus hanc Regiminis formam aut modum nullibi prescrivit, et hic modus nec idoneus, nec etiam possibilis est; namque hoc posito collegium Episcoporum perpetuo in Synodo congregatum esse deberet, ut \*

causas in suprema instantia decidat; quis dein particulares Dioeceses gubernabit? Sed nec ita facile est Synodum Oecumenicam congregare sicut prioribus saeculis, dum tota fere Ecclesia uno vasto Imperio Romano complectebatur. Nunc Religio Christi nullos limites Imperiorum noscit, dedit enim DEUS Ecclesiae suae Gentes haereditatem, et possessionem terminos terrae. Quis igitur ex suprema specula superintendet omnibus Episcopis terrae, num illi Canones Conciliorum Oecumenicorum exequantur, et incorruptam atque definitam fidem praedicent, et praedicari curent, num illi non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo sint? atque num grex Domini per illos, et subordinatos pastores debite pascatur? nisi ille, qui in suprema ab ipso Christo constitutus est specula, qui et in, et extra Concilium unitatem Ecclesiae repraesentat, et unitatem regiminis Ecclesiae in se concentratam custodit. Tolle tantum summum Pastorem, et non amplius habebis gregem, sed plures greges. Tolle Pontificem, et sustulisti unitatem, sustulisti Ecclesiam, et habebis Ecclesias dissolutas, Christo indignas. Propterea Christus non hominibus commisit Regiminis suae Ecclesiae constitutionem, sed eam sibi reservavit, et auctoritatem ipse constituit in terra perpetua, sui loco Vicarium reliquit, per quem ipse summus lapis angularis perpetuo suam Ecclesiam regit, cui subesse debet, et obedire quisque, qui Christi esse vult. Propterea unus inter duodecim constituitur, ut Capite constituto, Schismatis tollatur occasio, dicit S. Hieronymus. Exordium ab unitate incipit et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et una Cathedra monstretur, inquit S. Cyprianus. Ideo, Philippus Presbyter Apostolicae Sedis Romanae Legatus coram

Synodi Oecumenicae Ephesinae Patribus tuto enunciare potuit: „Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum, quod Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps, et Caput, fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo salvatore humani generis et Redemptore, claves Regni accepit, solvendique, ac ligandi potestas ei data est; qui ad hoc usque tempus vivit semper in suis successoribus et judicium exercet\*).

## CAPUT II.

### DE JURIBUS ROMANI PONTIFICIS ECCLESIAE UNIVERSALIS PRIMATIS.

#### § 67. De Juribus Romani Pontificis generatim.

Romano Pontifici qua successori Principis Apostolorum, cui totus Christi Grex, seu Ecclesia, qua supremo et ordinario Pastori concredata est, et qui potestatem ligandi et solvendi in terris pro toto grege Petro datam hereditavit, omnia competit jura, quae huic ejus muneri divinitus concredo correlata sunt. Adeoque, cum Romanus Pontifex sit principalis Doctor, Rector, Legislator, et Judex supremus, ex his ejus muneribus jura quoque ejusdem derivanda sunt.

#### § 68. Romani Pontificis qua supremi Ecclesiae Doctoris jura.

Romanus Pontifex, qua supremus Doctor, sive Magister fidei, habet jus ad ea media, quibus pura

\*) Concil. Ephes. Actione 3.

Christi Doctrina ab omnibus doceatur, toti mundo annuncietur, et incorrupta conservetur; hinc jus prota Ecclesia verum sensum religionis doctrinae Jesu enunciandi, idque sive in Concilio, sive extra Concilium, atque haereticas sententias damnandi. „Ego oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu conversus confirma fratres tuos dixit Christus.“ Quod jus neque singulis Episcopis, neque omnibus simul sumtis sine Petri successore competit. Magisterium namque Ecclesiae collegium Episcoporum cum Petro tantum, et per Petrum in suis successoribus Romanis Pontificibus semper viventem, qui fundamentum inconcussum, et petra fidei in Ecclesia est, constituit. Quare in Concilio Hierosolymitano Petrus primus omnium loquitur, ac supra sua auctoritate quaestionem dirimit; nec quisquam alter, jus hoc Petri, ejusque successorum proprium, ut nomine Ecclesiae doctrinam nondum definitam pronunciaret, et in genere nomine totius Ecclesiae loqueretur, unquam sibi arrogare praesumsit, nec universitas quidem Episcoporum, antequam eorum sententia fidei per Petri successorem confirmaretur, illi enim soli dictum est a Christo. „Et tu confirma fratres tuos.“ Atque haec inerrantia cum munere supremi Ecclesiae Doctoris Petro collato conjuncta, derivanda est ex merito distinctae orationis Christi ad Patrem, ut esset Petrus firmus in fide, petra fidei, ait enim Jesus: „Ego oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua“, seu ut sis firmus in fide, ut possis confirmare in fide fratres tuos. Quod jus Romani Pontificis semper creditit Ecclesia Orientalis, et recognovit. S. Cyrillus Alexandrinus scribit (in Thesauris L. I. C. 21.) „Nos debemus, qua membra adhaerere Capiti Patriarchae Romano, et Apostolicae Sedi, a quo debemus quaerere

quid credamus, quid sentiamus, et quid observemus, quia ille solum potest docere, admonere, confirmare, et ligare.“ S. Théodorus Studites autem in Epistola ad Paschalem Pontificem, haec scribit: „Audi Apostolicum Caput a DEO electe Pastor ovium Christi, qui claudis Regnum coelorum, petra fidei, supra quam aedificata est apostolica Ecclesia, quia tu es Petrus, qui exornas sedem Petri et gubernas; tibi dixit Christus DEUS noster, et tu conversus confirma fratres tuos.“ Idem ipse autem Theodorus Studites sanctus Graecorum doctor, ad Michaelem Graecorum Imperatorem: Quod si ambigis ait, Imperator! de aliqua veritate, vel non credis, interpretationem veritatis expectas; manda a Roma veteri expeti doctrinam, sicut ab initio a Patribus nostris factum esse traditione accepimus, sive id, quod Roma vetus, o Sectator Christi Imperator! inter omnes Ecclesias DEI, principalem et excelsum locum tenet, cuius primam sedem Petrus tenuit.“ Ideo et Sergius Episcopus Cypri, (Epistola ad Theodorum) Pontificem appellat „profanarum haereseon depositorem, Principem, et Doctorem orthodoxae et immaculatae fidei.“ Sed universalis totius Ecclesiae hac de re fides ex eo dimetienda est, quod Oecumenicitatem nulli Synodo, quae sine Pontifice in objecto fidei celebrata fuisset, adscripserit. In ipso recentissimo Codice Graecorum Pidalion 1800. Lipsiae, cum approbatione Synodi Constantinopolitanae edito, in Prolegomenis. ad 1-am Synodum Nicaenam Nota 1. haec habentur. „Synodus II-a et V-a ab initio non fuerunt oecumenicae, quia Papa nec in persona, nec per legatos interfuit; sed oecumenicae evaserunt per subsequam accessionem et subscriptionem Papae Damasi, et Vigilii.“ Et ut Graeci oecumenicitatem suis Synodis

Orientalibus vindicent, in qualibet Synodo exprimunt praesidium Romani Pontificis, sic Nilus Metropolita Rhodii in Enarratione sua Synoptica de sanctis Oecumenicis Synodis<sup>1)</sup>.

#### Prima Synodus.

Sancta et Oecumenica prima Synodus Nicaeae congregata, trecentorum octodecim Patrum piorum, imperante Magno Imperatore Constantino adversus dementem Arium. Praerant Synodo Sylvester Romae.

#### Secunda Synodus.

Sancta et Oecumenica secunda Synodus Constantinopoli habita est, imperante Theodosio Magno a centum et quinquaginta Episcopis adversus Macedonium Sancti Spiritus hostem, Constantinopolis Patriarcham. Praeerant Synodo Damasus Romae etcet.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Vid. Bibliotheca Juris veteris Canonici a. Voello et Justelle Parisis 1662.

<sup>2)</sup> Observa autem 1) Commemoratus Schismaticus Scriptor dicit Nicaeno primo Concilio praesedit Sylvestrus Papam, et sic aliis septem oecumenicis Conciliis alias Pontifices praesedit asserit. Accuratus autem dicere debuissest. praesedit Sylvester Romanus Pontifex per Legatos et Vicarios, Hosium nempe Cordubensem Episcopum, Vitum et Vincentium Romanae Ecclesiae Presbyteros. (Vide Mansi Coll. omn. Concil. Chr. Lups in Can. Nic. Cap. 3.) 2) Quoad praesidentiam Damasi secundo Concilio Oecumenico observare licet, quod quamvis non desint documenta, quae Damasum Romanum Pontificem per legatos praefuisse ostendere videantur (qua de re consul. Baron ad ann. 381. et Chr. Lups diss. de Synodo Constantinop. prim. c. 1.) constat tamen memoratum Concilium per subsequentem Damasi confirmationem quoad ea, quae fidem respiciunt, inter oecumenica fuisse ad-

#### Tertia Synodus.

Sancta et Oecumenica tertia Synodus Ephaei habita est, imperante Theodosio juniore, congregata e ducentis sanctis Patribus adversus Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum. Huic praerat Coelestinus Romae.

#### Quarta Synodus.

Sancta et Oecumenica quarta Synodus Chalcedone habita est, imperante Marciano, congregata a sexcentis triginta sanctis patribus, adversus Dioscorum Patriarcham Alexandrinum. Huic praerat Leo Romae.

#### Quinta Synodus.

Sancta et Oecumenica quinta Synodus habita est Constantinopoli imperante Justiniano congregata a centum sexaginta sanctis Patribus adversus insanientem Origenem. Praerat Synodo Vigilius Papa Romae.

#### Sexta Synodus.

Sancta et Oecumenica sexta Synodus habita est imperante Constantino Pogonato, congregata a centum sexagiuta sanctis Patribus. Cui praerat Agatho Romae.

#### Septima Synodus.

Sancta et Oecumenica septima Synodus Nicaeae secundo habita est, imperante Constantino et ejus matre

numeratum. 3) Subsequis etiam in Conciliis oecumenicis cum praevio assensu Romanorum Pontificum congregatis, Romanorum Pontificum praesidium per Legatos, confessum est. Vide Bellarmin Ballerini etc.

Irene, congregata a sexcentis sexaginta tribus sanctis Patribus. Praeerat huic Adrianus Papa Romae.

#### Octava Synodus.

Sancta et octava Oecumenica Synodus trecentorum octavaginta sanctorum Patrum. Aderant Joannes Papa Romae etcet.

#### § 69. Conclusio ex praecedenti confessione Ecclesiae Graecae, de Magisterio Petri et successorum ejus.

Quodsi igitur Ecclesia Orientalis, avitae suae fidei orthodoxae conformiter Petrum, ejusque successorem Romanum Pontificem petram fidei, et fundamentum super quod aedificata est catholica Ecclesia, semper credidit; et ideo nec portas inferni adversus eam praevalituras in aeternum, quia Ecclesia fundata est super hanc fidei petram, Petrumque et successores ejus speciali oratione Christi obtinuisse donum inerrantiae in fide, ut confirmarent frarres suos; qua inconsequentia, imo temeritate praesummunt Ecclesiae sub Magisterio Petri constitutae errores circa fidem adscribere? certe, si caput Ecclesiae in fide errare posset, tunc valde imperfectam Ecclesiam Christus fundasset; error enim Capitis circa fidem in totum corpus Ecclesiae dimanaret, quod absonum est, et sapientiae fundatoris Ecclesiae DEI adversum. Et tamèn Ecclesia Constantinopolitana non veretur Catholicæ Christi Ecclesiae oggerere eam errare, cum docet: Spiritum Sanctum a Patre filioque procedere \*)

\*) Vide Procopovits Tractatus de Processione Spiritus Sancti. Gothae 1772.

huncque errorem dogmaticum, principalem scissionis Ecclesiarum causam fuisse; quin recogitet, hujus doctrinae S. Paulum Apostolum et Evangelium auctorem esse. S. Paulus in Epistola ad Galatas Cap. 4. v. 6.: „Misit DEUS ait, Spiritum filii sui, in quo clamamus Abba. Pater“, et ipsa Ecclesia Orientalis confitetur Spiritum Sanctum ita esse Spiritum Filii, sicut est Patris, in Ritu defunctorum sic orationem concludendo: „Quia tu es resurrectio et vita, et requies defuncti servi tui Christe DEUS noster, et tibi gloriam exaltamus, cum eo, qui est sine principio Patre tuo, et vivificant Spiritu Sancto tuo nunc et in saecula saeculorum Amen.“ Ergo Spiritus Sanctus est Spiritus Filii sicut et Patris, quem Filius misit a Patre procedentem, Joan. C. 16. v. 7., atque quem Pater etiam misit Spiritum Filii sui, proinde ab hoc quoque procedentem, non tamen duobus, sed uno principio; quo respectu dixit Christus: „Ego et Pater unum sumus, omnia quae habet Pater mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet, et annunciat vobis;“ sive, habet Pater Spiritum Sanctum, sed eundem habeo et ego Filius; porro habet Pater procedere Spiritum Sanctum a se, et ego habeo procedere Spiritum Sanctum a me, quia omnia quae habet Pater, mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet Spiritus Sanctus, et annunciat vobis; quem et ipse Filius insuffavit, et dedit discipulis suis dicens: Accipite Spiritum Sanctum.“ Profecto, Ecclesiam Orientalem Catholicam semper credidisse processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque, testis est S. Hormisdas, qui anno adhuc 521. scripta ad Imperatorem Justinum Epistola scribit: „Notum est, quia proprium est Filii, ut ex Patre Patri nascatur aequalis; proprium Spiritus

Sancti ut de Patre et Filio procederet, sub una substantia Deitatis<sup>1)</sup>). Et S. Synodus Ephesina approbavit Epistolam Synodicam S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, in qua S. Cyrilus haec habet: „Nam etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenus in se ipso consideretur, quatenus Spiritus est, et non Filius, sed tamen non est alienus ab eo, Spiritus enim veritatis nominatur, et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo, atque a DEO Patre procedit“<sup>2)</sup>). Ex hoc sufficienter patet, Constantinopolitanae Ecclesiae, quam S. Theodorus Studites, segmentum haereticum esse dixit, cui solemne est, ab aliis Ecclesiis frequenter abscondi, id quoque proprium esse, ut in Spiritum Sanctum erret; quemadmodum etiam primus Constantinopolitanus Haeresiarcha, Patriarcha Macedonius, juxta Nilum Metropolitam Rhodii, Spiritus Sancti hostis erat. Quodsi autem Constantinopolitanos objectionis hujus circa fidem Catholicae Ecclesiae de Spiritus Sancti processione pudet, et nonnisi prout recentissimus Codex Canonum Constantinopolitanus Pidalion, ultimis seriebus Notae 2-dae ad Can. II. Concilii sexti nonnisi additionem particulae Filioque symbolo factam oggerunt, atque hanc ipsam primam sicut et ultimam scissionis Ecclesiarum causam esse dicunt, meminerint: Synodum Ephesinam, et Constantiopolitanam IV. prohibuisse, et prohibere tantum potuisse, ne privata auctoritate per Ecclesiam universam stabilito Symbolo aliquid addatur; sed Ecclesiam se ipsam nec prohibuisse, nec etiam prohibere potuisse, ne ipsa qua Magistra et Legislatrix pro confirmatione fidei

<sup>1)</sup> Ep. LXXIX. apud Labb. Tom. IV. Col. 1553.

<sup>2)</sup> Apud Labb. Tom. III. Col. 406. § 10.

christianae, quae necessariae essent fidei definitiones Symbolo insereret, quemadmodum additamentum particulae Filioque ad Symbolum, per eamdem ipsam totius Ecclesiae Magistrum in Concilio Oecumenico Lateranensi IV. factum est. Quod jus haec Synodus Oecumenica perinde habuit, quemadmodum Synodus Constantinopolitana 1-a quae addidit Symbolo verba; qui a Patre procedit, et reliqua.

Sed dicunt Constantinopolitani, tamen saltim Honorius Pontifex haereticus fuit. Profecto, Concilia priora Oecumenica modo contra unum Alexandrinum, modo contra alium Constantinopolitanum Haeresiarcham Patriarcham celebrata sunt; ut adeo juxta illud: solatum est miseris socios habuisse dolorum, etiam in sede Principis Apostolorum aliquem saltim unum Haeresiarcham quaererent, sed frustra; in Cathedra enim Petri infallibilis semper fidei petra perpetuam sibi sedem fixit, quae in fide nec erravit, nec errare poterit unquam. Honorius Pontifex Catholicam veritatem enunciavit, dum scripsit: „Utraque naturas (in uno Christo unitate naturali copulatas) cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, et Divinam quidem, quae DEI sunt operantem, et humanam, quae carnis sunt exequentem.“ Ideo nec Concilium VI. Honorium Pontificem ut haereticum condemnavit, sed prout Imperator Constantinus Pogonatus, qui eidem Synodo interfuit, dicit: qua haereseos confirmatorem, qui etiam sui ipsius exstitit oppugnator, idest, contra propriam expressam Catholicam fidem. Et Leo II. ad Episcopos Hispaniae sic de Honorio scribit: „Qui flamمام haeretici dogmatis non extinxit, sed negligentia confovit.“ Quod si igitur propter cunctationem, quam in suppressenda haeresi

Monotheletarum, qui teste historia non sibi constabant, sed suas enunciationes variabant, Honorius manifestavit, tanto minus factum hoc, aut indulgentia erga haereticos, Honorium ipsum haereticum fuisse probat, quod Ecclesiae inerrantia solum quoad fidem, quam rectam habuisse Honorium nemo dubitat, non autem quoad judicium de motivis subjectivae actionis cuiusdam Individui quae non patent, juxta illud: de internis non judicat Praetor, competit\*). Nullus proiude Romanorum Pontificum unquam edidit Definitionem in rebus fidei et morum veritati adversam. Ergo non potest subrui fundamentum, quod posuit Christus, et cui superaedificavit Ecclesiam suam, contra quam eo minus quaesitae argutiae Constantinopolitanorum valebunt, dum nec portae inferi unquam praevalere poterunt adversus eam. Firma ergo stat in Ecclesia, in sede Petri fidei auctoritas, cui si quis se submittere recusat, in Ecclesia non est, dicente S. Cypriano: „Siquis Cathedram Petri, supra quem aedificata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.“ Haecque auctoritas a DEO constituta tanta est, ut nullius, nec totius mundi crisi obnoxia sit. Qui igitur Ecclesiae Romanae fidem crisi suaे subjecere volunt, divinam auctoritatem Ecclesiae in Magisterio Petri datam subruere conantur; et qualem dein ipsi substituent auctoritatem? profecto nisi humanam propriam, quae adeo parum quemlibet obligat ad credendum sicut olim vana Philosophorum ethnicorum commenta, et tunc iterum ad paganismum reditus planus

\*) Consule hac de re Bellarmin de Rom. Pontif. Orsi de irreformabili Rom. Pontificis judicio. Perrone de dotibus Primat. Rom. Pontif. Prop. 3.

esset. In tanta proinde corruptione humana, exultet omnis anima bonae voluntatis, si auctoritatem humana superiorum designare liceat, cui quisque semet submittere, et juxta S. Paulum Apostolum: captivare intellectum in obsequium fidei teneatur. Hac enim auctoritate subruta, subrueretur omnis auctoritas.

### § 70. Jura Romani Pontificis, qua universae Ecclesiae Rectoris.

Jura Romani Pontificis qua universalis Ecclesiae Rectoris sunt:

1) Jus constituendi gregi Pastores sive Episcopos, eos confirmandi, et canonice instituendi. Jus quidem denominationis Episcoporum Imperantibus Catholicis de jure Patronatus competit, vigore tamen privilegii Apostolici. Vide Concordati Austriaci Artic. XIX.

2) Jus Episcopos propter bonum Ecclesiae ad alias sedes transferendi, vel eorum abdicationem acceptandi, et Coadjutores constituendi.

3) Jus poscendi ab omnibus Episcopis relationes et informationes de statu totius Ecclesiae, eorumque sensum in objectis doctrinam, mores, atque disciplinam ecclesiasticam concernentibus explorandi.

4) Jus unitati fidei, puritati morum, et integritati disciplinae invigilandi, et eam manutenendi.

5) Jus Concilia generalia congregandi, iis praesidendi et ea confirmandi.

6) Jus Canonum ecclesiasticorum, sive legum ecclesiasticarum executioni intendendi, et eam procurandi.

7) Jus Legatos ad provincias ecclesiasticas vel Dioeceses mittendi, suaque potestatis Vicarios constituendi.

8) Jus Libros perniciosos proscribendi, et lectio-nem eorum prohibendi.

9) Jus novas sedes Episcopales erigendi, erectas Dioeceses dividendi, aut uniendi.

10) Jus beneficia ecclesiastica dividendi, uniendi aut pensionibus onerandi.

11) Jus consensus ad abalienationem bonorum ecclesiasticorum.

12) Jus rectae administrationi bonorum ecclesiasticorum inspiciendi.

13) Jus proprietatem Ecclesiae tuendi.

14) Ad ecclesiasticae, et civilis potestatis in mutua correlatione limites defigendos, cum Principibus regnantibus pacta, sive concordata ineundi.

15) Jus ordines religiosos introducendi, et abolendi.

### § 71. Jura Romani Pontificis qua supremi in Ecclesia Legislatoris.

Jura Romani Pontificis qua Legislatoris sunt:

1) Jus Leges universales, sive in, et cum Concilio, sive extra Concilium generale ferendi. Aut leges synodales confirmandi.

2) Jus Synodorum provincialium statuta examinandi, approbandi, aut mutandi.

3) Jus a legibus ecclesiasticis universalibus dispensandi.

4) Jus cultum sacrum universalem instituendi, et regulandi.

5) Jus Jejunia universalia ordinandi.

6) Jus universales festos dies statuendi.

### § 72. Jura Romani Pontificis qua supremi in Ecclesia Judicis.

Jura Romani Pontificis qua supremi Judicis sunt:

1) Jus devolutionis supremum, Episcopos devios ab officio, ad officium revocandi, eosdem judicandi et deportandi.

2) Jus causas ecclesiasticas poenales, et matrimoniales in suprema instantia revidendi, et judicandi.

3) Jus protectionis ab inferioribus judicibus injuste damnatorum, aut damnificatorum.

4) Jus reservationis majorum causarum, et graviorum casuum conscientiae.

5) Jus beatificationis.

6) Jus indulgentias pro tota Ecclesia conferendi.

7) Jus a votis dispensandi.

8) Jus judices pro se delegandi.

*Nota:* Canonistae disputantes, aut distingventes inter jura Romani Pontificis, vel Primatus essentialia, accidentalia, accessoria, et controversa, sibi ipsis controversias faciunt, oleum et operam perdunt; totum namque, quod ad bonum Ecclesiae per Romanum Pontificem qua universalem Pastorem fit, essentialiter ex conceptu muneric ejusdem promanat; verum quidem est, quod Romanus Pontifex plura aliis exequenda committere possit, prout olim plura, quae nunc Romanus Pontifex solus exercet jura, a Synodis Oecumenicis, provincialibus, aut a Metropolitis exercita fuerunt, ipsis Pontificibus aut tacite, aut expresse consentientibus; quin ideo asseri possit Romano Pontifici qua universi gregis proprio et primo Pastori, jus ad omnia illa suo muneri correlata jura non competuisse; cum et ipsa Historia testis sit: in casibus, dum sive Synodi Episcoporum, sive Metropolitae permissis sibi juribus abusi sunt, aut eadem exequi neglexerunt, devolutioni ad Sedem Apostolicam, sive Romanum Pontificem, lo-

cum fuisse, et effective ad Ecclesiae Primate devolutas existisse. Romanus enim Pontifex vi plenitudinis, qua ipsi concessa fuit potestas regendi universalem Christi Ecclesiam, habet jus faciendi id omne, quod est necessarium ad rectum ejusdem Ecclesiae regimen juxta circumstantias temporis et loci, in quibus ipsa versatur, et ad conservandas proprietates illas seu dotes unitatis, sanctitatis, catholicitatis, et apostolicitatis, quae Ecclesiae Christi essentiam constituunt. Quod si distingvuntur et enumerantur peculiaria Romani Pontificis iura, id ideo fit, ut explicetur plenitudo potestatis prout illa ab ipso exerceatur saeculorum decursu; sed non ideo fit, ut determinentur ea, quae Pontifex facere aut non facere valet; uno enim tempore potest esse essentialie ipsius jus (quia Ecclesiae fini necessarium) id quod alio tempore est tantummodo accidentale, quodque exerceri potest etiam ab Episcopis. Vide Schulte System des Allg. Kirchenrechts § 21. 22. pag. 78—198.

### § 73. Supremam Jurisdictionem Romani Pontificis agnoverunt etiam Imperatores Christiani.

Justinianus Imperator ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum<sup>1)</sup> scribit: „Nec enim patimur, ut quidquam eorum, quae ad Ecclesiae statum spectant, non ad ejusdem Beatitudinem referatur, cum ea, (Romanus Pontifex) Caput sit omnium sanctissimorum DEI Sacerdotum. Et addit „in omnibus servavimus statum unitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum sanctissimo Papa veteris Romae, ad quem similia horum perscripsimus.“

Theodosius Imperator Nectarii ordinationem per summum Pontificem confirmari postulavit<sup>2)</sup>, de quo

<sup>1)</sup> Cod. Just. Libr. 1. T. 1. Leg. 7.

<sup>2)</sup> Epistola Bonifacii I. ad Episcopos Macedoniae, Achaiae et Thessaliae apud Harduin Tom. II. Concil. Coll. 11. 26.

Bonifacius primus ad Episcopos orientales sic scripsit: „Clementissimae recordationis Princeps Theodosius, Nectarii ordinationem propterea, quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis a latere suo auxiliis cum Episcopis, formatam huic a sede Romana dirigi depoposcit, quae ejus Sacerdotium roboraret, atque subjungit: „Haec sententia Canonum a vetustate duravit, et nunc usque Christo nostro favente perdurat. — Nemo unquam Apostolico culmini, de cuius judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit.“

Valentinianus III. Imperator autem, constitutione, quae adjuncta est Codici Theodosiano: „Cum igitur inquit, sedis Apostolicae Primum sancti Petri meritum, qui Princeps est sacerdotalis corona, et Romainae dignitas civitatis, S. etiam Synodi firmaverit auctoritas, perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papae urbis aeternae auctoritate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, aut sanxerit Apostolicae sedis auctoritas.“

Sed liceat hic loci tamquam monumentum praesentis aevi adducere etiam verba Apostolici Regis Austriae Imperatoris, Francisci Josephi I. Articulo Concordati sui cum sede Apostolica initi II-o expressa: „Cum Romanus Pontifex Primum tam honoris, quam jurisdictionis in universam, qua latepatet Ecclesiam jure Divino obtineat, Episcoporum, Cleri et populi mutua cum sancta sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis prorsus libera erit.

### CAPUT III.

#### DE SENATU, ET CURIIS ROMANI PONTIFICIS ECCLESIAE PRIMATIS.

##### § 74. De Cardinalibus, eorum Origine.

Romano Pontifici universae Ecclesiae Primi assistunt Cardinales, ex Presbyterio urbis Romae, seu Presbyteris, qui Curati Ecclesiarum urbis Romae iis Ecclesiis adscripti, incardinati erant, unde nomen Cardinalis. Cardinales Ordine plerumque Episcopatus insigniti supremum senatum Pontificis ad gubernandam universalem Ecclesiam constituunt, et collegium Cardinalium nominatur.

##### § 75. Cardinalium numerus et creatio.

Collegium Cardinalium hodie Episcopis sex, Presbyteris quinquaginta, et Diaconis quatuordecim constat. Creantur et promoventur Cardinales per solum Pontificem; jus tamen pro dignitate cardinalitia commendandi tum Imperatori Austriae; tum Regibus Galliae, Hispaniae, Siciliae, Lusitaniae, et Sardiniae usus et observantia firmat \*).

##### § 76. Jura Cardinalium Sede Pontificia plena.

Sede plena, seu vivente Pontifice, Cardinales sequentia exercent jura: 1) Senatum Pontificis constituunt. 2) In variis congregationibus, et tribunalibus consiliarios Pontificis agunt; aut officio Praesidis

\*) Vide Schenki Jus Eccl. Tom. 1. pag. 389.

funguntur. 3) Munus legatorum, et protectorum Nationum obeunt, ad procuranda negotia Regnorum, et Principum saecularium.

##### § 77. Jura Cardinalium Sede vacante.

Cardinales sede Pontificis vacante habent jus eligendi Pontificem excluso reliquo Clero per suffragia secreta, et quidem votis absolute majoribus duabus tertiiis. Jurisdictionis autem Primatis Ecclesiae participes non fiunt.

##### § 78. Cardinalium Privilegia.

Cardinalium privilegia specialia sunt: 1) quod etsi non nisi Presbyteri, aut Diaconi essent, in titulis suis jurisdictionem habent quasi Episcopalem, ordinis que minores modo sint Presbyteri, personis ejusdem Ecclesiae servitio addictis conferant. 2) Ad Synodos generales vocandi, in iis voto decisivo gaudent. 3) Cardinalium Judex est solus Pontifex.

##### § 79. Insignia Cardinalium.

Cardinalium Insignia sunt: 1) Proedria, qua aliis Episcopis praecellunt. 2) Vestis cum galero purpurea. 3) Titulus Eminentissimi. 4) Locus dignitatis civilis, quatenus hereditariis Principibus aequiparantur.

##### § 80. Curia Romana.

Curiam Romanam, quae ante saeculum XII. nomine Ecclesiae Romanae veniebat, constituunt Consistoria summi Pontificis, item Tribunalia, Dicasteria, et Congregationes.

### § 81. Consistorium Cardinalium.

Consistorium Cardinalium sub praesidio summi Pontificis est vel secretum, idest ordinarium, ad quod soli cardinales admittuntur; vel publicum et extraordinarium, quod singulares ob causas praesentibus praeter Cardinales Praelatis, Principibus, aut horum Legatis, et Magistratibus solenniter celebratur. In Consistorio secreto tractantur creatio Cardinalium; Nominatio Legatorum a latere; Electio Patriarcharum et Archi-Episcoporum etiam titularium; item Episcoporum, translationes eorum, et depositiones, ac concessio Pallii etcet. Ad publicum autem Consistorium spectant: impositio pilei cardinalitii; receptio Legatorum Principum, Canonisatio etcet.

### § 82. De Cancellaria Romana, et Dataria.

Cancellaria Romana, cui regulas praescripsit Joannes XXII. conficit, scribit, et expedit literas apostolicas, Bullas scripture Gottica, cum sigillo plumbi; et Brevia, sive resolutiones Pontificis in causis minoribus. Dicasterium autem est Dataria, quae est Dicasterium Pontificis, per quod summus Pontifex gratias extra Consistorium concedit, etiam pro forro externo valituras, uti sunt: dispensatio aetatis, matrimoniorum, irregularitatum, a votis, juramento; et collationes beneficiorum minorum.

### § 83. Tribunalia Pontificis.

Tribunalia Pontificis sunt: 1) Poenitentiaria, quae est Tribunal concessionum, et dispensationum pro

foro conscientiae. 2) Rota Romana, quae est supremum Tribunal judicarium, ad causas litigiosas tractandas institutum. 3) Signatura justitiae, est Tribunal decidens, utrum causa aliqua appellari possit, dum id ex jure scripto non satis determinari potest. 4) Signatura gratiae, in hac tractantur causae, quae ex gratia Pontificis dependent, sicut est, ut a causa non appellabili appellata concedatur.

### § 84. De Congregationibus.

In Ecclesia Romana existunt variae Congregations, utpote:

1) S. C. Romae et Universalis Inquisitionis seu sancti Officii, sub praesidio Pontificis, cuius membra sunt Cardinales 15, Secretarius Cardinalis, 31 Consultores, 5 Qualificatores. Congregatio haec prima est, quoniam momentosae ejus decisiones ab ipso Pontifice sanctionem obtinent. Competentia hujus Congregationis extenditur ad omnia delicta contra fidem, qualia sunt: Haeresis, sortilegium, divinatio, magia, astrologia judicaria — Blaspemia — Transgressiones praeceptorum Ecclesiae — Apostasia ab ordine vel a statu Regularium — certa delicta carnis — abusus sacramenti baptismatis, eucharistiae et sacrificii missae, sacramenti poenitentiae, matrimonii, et ad personas, quae secundum juris principia ob haeresim puniendae sunt.

2) Congregatio Indicis Librorum prohibitorum, instituta a Pio V. et organisata a Sixto V. constitutione „Immensa“, Benedicto XIV. constitutione „Solicita ac provida“, sub praesidio Cardinalis Praefecti constans e 12 Cardinalibus, pluribusque Consultoribus

et Relatoribus. Congregatio haec libros perniciosos Indici librorum prohibitorum infert, ideo etiam nomen fert Congregationis Indicis, atque etiam facultatem dat prohibitos libros legendi. Decreta ejus quemlibet obligant.

3) S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, instituta a Pio IV., Constitutione quae incipit „Alias nos“, amplius constituta a Sixto V. Constitutione „Immensa aeterni Dei“, scopus hujus Congregationis est superintendere, ut executio decretorum Concilii Tridentini de Reformatione manuteneatur, atque obortis dubiis circa sensum Concilii quaestiones juris decidere. Constat sub praesidio unius Cardinalis Praefecti, ex 40 Cardinalibus membris, uno Praelato Secretario, et Subsecretario, pluribus Praelatis qua Adjunctis et Supplentibus. Ex hac desumitur particularis congregatio super statu Ecclesiarum, quae revidet relationes Episcoporum de statu Dioecesium, et supervisitatione, introducta a Benedicto XIV. Constitutione „Decet.“ Item alia Congregatio particularis, super revisione Synodorum Provincialium, a Sixto V. instituta. Denique Congregatio particularis super residentia Episcoporum, ab Urbano VIII. amplius autem constituta a Benedicto XIV. Constitutione „Ad universae.“

4) S. Congregatio super Negotiis Episcoporum et Regularium, instituta a Sixto V. Constitutione „Immensa“, quae superinspicit universalis administrationi Episcoporum et exemptorum Praelatorum, item correlationi Ordinum Religiosorum ad eos et inter se, atque disciplinae religiosae seu monachali. Ad hanc congregacionem negotia contentiosa non spectant, excepto si judicium Episcopi sacviciem spiraret, quo

in casu interposita per afflictum appellata, continuationem processus sistendi potestatem habet. Ad ejus sphaeram spectant omnia gravamina contra administrationem Episcoporum; in casibus necessitatis iis Vicarios substituit, atque judicat de delictis Praelatorum quae ad S. Inquisitionem non spectant.

5) Congregatio Jurisdictionis et Immunitatis Ecclesiasticae, instituta ab Urbano VIII., ad defensionem et conservationem immunitatis ecclesiasticae locorum, personarum et rerum.

6) Congregatio Rituum, instituta a Sixto V. ad invigilandum cultui sacro, ac tollenda dubia quae circa eum emergerent, decidendasque controversias circa Ritum; ad quam spectant etiam controversiae et lites circa praecedentiam, et processus ad beatificationem.

7) Congregatio Indulgentiarum et S. Reliquiarum, instituta a Clemente IX. Constitutione „In ipsis Pontificatus“ ad concedendas Indulgentias, et examen authenticarum Reliquiarum.

8) Congregatio de Propaganda Fide, et S. Congregatio, pro corrigendis libris Ecclesiae Orientalis, inchoata a Gregorio XIII. continuata et emendata a Clemente VIII. et perfecta a Gregorio XV. Constitutione „Inscrutabili“, quia cum conjunctum est Collegium Urbanum, pro Missionariis ad propagandam fidem; habet Typographiam omnibus fere linguis. Congregatio haec recentissime pro negotiis Ecclesiae Orientalis per Constitutionem Pii IX.: „Romani Pontifices“ distincta Sectione aucta est\*).

\*) Vide in fine Operis Constitutionem Pii IX.

### §. 85. Officiales Curiae Romanae.

Comitatum Pontificis constituant Dignitarii, et qui in aula Pontificis officium aliquod vel revera vel saltem ejus titulum gerunt. Praeter Cardinales, e quibus unus est Secretarius status pro negotiis status Pontificii externis, cui subsunt qua organa Nuncii Apostolici apud aulas Principum constituti; Secretarius pro negotiis status internis, Pro-Datarius, Secretarius Memorialium, Praefectus sacri palatii seu Major Domus, Magister Camerae, Magister sacri palatii (seu Theologus Papae), Auditor (seu Jurista Pontificius), praeter item Archi-Escopos et Escopos solio Pontificio assistentes, quales etiam extra statum Pontificium nominantur, sicut etiam Praelati domestici suae Sanctitatis Pontificis, atque honorarii quidem nominantur per Breve, et gaudent privilegio induendi rochetum, et manteletum coloris violacei\*); varii Camerarii, secreti ad honores, cum habitu coloris violacei. Proto-Notarii, ad perquirenda et connotanda acta Martyrum adque alia graviora negotia adpliciti. Hodie dividuntur in participantes, ideo sic appellati quoniam praeter proprios redditus a sede Apostolica, participant emolumenta ex expeditione literarum apostolicarum influentia, qui sunt numero septem, a jurisdictione Episcoporum exempti, Romae constituunt collegium, quod statuta pro se condere, quovis anno quatuor Doctores Theologiae vel Juris utriusque aut Canonici creare, et unum Protonotarium titularem, non tamen inconsulto Pontifice, nominare potest; ha-

\*) Vide Porubszky § 192.

bent jus in itinere altaris portatilis, item, si Presbyteri sint, mitrae et aliorum pontificalium, etiam in Ecclesiis cathedralibus, praesente tamen Episcopo hujus consensu indigent; praeter hos autem sunt Protonotarii apostolici supernumerarii, dicti ad instar participantium, qui habent quidem dignitatem praelatitiam et hinc etiam jns insignium praelatitiorum; quia tamen in omnibus Episcoporum Ordinariorum jurisdictioni subsunt, absque horum consensu pontificalibus uti nequeunt. Sunt etiam Protonotarii honorarii, seu titulares, qui debent ab Episcopis commendari, atque ad eorum nominationem documentis edocendum est: eos esse de nobili vel honesta familie conditione, annorum saltem 25, de statu clericali, Doctores Theologiae vel Juris, morum honestorum, et annuos provenitus saltem bis centum scutatorum habere. Jura eorum sunt: a) Possunt confidere acta de causis beatificationis et canonisationis servorum Dei. b) Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in Judices synodales, in Commissarios apostolicos, et Judices a summo Pontifice adsciscendos pro causis ecclesiasticis et beneficiariis. Item apud ipsos professionem fidei recte emittunt, qui ex officio ad eandem adstringuntur. Protonotarii titulares etiamsi non Praelati, tamen uti possunt habitu praelatitio, videlicet veste talari et palliolo, nuncupato mantelletto, sed nigri coloris, non vero violacei, in publicis supplicationibus et Ecclesiae aliis functionibus etiam rochetto subtus palliolum. Habitum praelatitio induiti praferendi sunt etiam Canonicis singularibus, non vero in collegium coeuntibus, nec etiam Abbatibus et Vicariis generalibus. Si Canonici sint in Choro, ut Canonici induiti sunt, et in competente canonicali stallo sedent. Si

non sint Canonicci, collare violaceum non competit. Sacrum operantes a simplicibus sacerdotibus minime differunt. Protonotarii titulares, qui aliis juribus uti ausi fuerint, si ab Ordinario tamquam sedis apostolicae delegato semel vel bis admoniti non paruerint, eo ipso delato honore se privatos sciant. Praeter hos adhuc sunt etiam Capellani secreti pontificii, Capellani honorarii, Capellani communes etcet.

## CAPUT IV.

### D E E P I S C O P I S .

#### § 86. Prolegomena.

Principi Apostolorum qua totius Ecclesiae fundamento principali, et Capiti, in officio et potestate successisse Romanum Pontificem superius § 61-mo demonstratum est; sicut etiam reliquorum Apostolorum successores esse Episcopos, qui munus Apostolorum in Ecclesia continuant § 65-to expositum est. S. Clemens, in Epistola ad Corinthios in hanc rem sic scribit: „Apostoli nostri cognoverunt, per Dominum nostrum Jesum Christum, quod futura esset contentio de nomine Episcopatus, ob eam ergo causam accepta perfecta praecognitione constituerunt Episcopos, et deinceps successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decederent, ministerium eorum ac munus alii probati exciperent.“

#### § 87. Primas Sedes Episcoporum Apostoli ipsi fixerunt.

Quoad primas sedes Episcoporum ab Apostolis ipsis institutas, Tertulianus \*) scribit: „Edant origines

\*) De prae script. haeres. Cap. 32.

Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerint auctorem, et antecessorem.“

Petrus Magnus Christi Apostolus in omnibus fere civitatibus Capadociae, Phrygiae, Macedoniae, Graeciae, Epyri, Siciliae, Italiae, Galliae, Hispaniae extremitatum Episcopos ordinavit. Etenim Jacobus ejus favore Hierosolymorum thronum tenuit; deinde Evidium Antiochiae ordinavit, Tharsi Urbanum, Epaproditum Lyciae, Sygillum Ephae, Smirnae Apellem, Philippis Olympum, Thessalonicae Jasonem, Sylam Corinthi, Partis Herodianum, Thauriamini Magnum, Alexandriae Marcum, amplius autem in Niceae Thraciae partibus similem apparavit ordinem, et eundum facturum iri successoribus commendavit\*). Ideo S. Petrus Epistola 1-a Cap. V. v. 2. ait Episcopis: „Pascite qui in vobis est, idest qui vobis creditus est per me gregem DEI.“

Similiter S. Paulus in Epistola ad Titum Cap. I. v. 5.: „Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.“

Ita et S. Joannes Apostolus in Asia Episcopos constituit, teste Tertuliano Libr. 4. contra Marcionem: „Ordo Episcoporum inquit, ad originem recensendus, in Joannem stabit auctorem. „Dubium proinde nullum

\*) V. Binterim Tom. 1. parte 2. 433. Hugo Etherian. Confer. Dr. Mcellin Molkenbuhr Dis 15 de Serie primorum Episcoporum in Cath. Romana, Antiochena, Alexandrina et Hierosolymitana.

est e dispositione Apostolorum Episcopos distinctis suis sedibus affixos fuisse, et Angeli Ecclesiarum, quibus praeyerant quasi Angeli Custodes habebantur; atque sensim Jurisdictio eorum ad certos limites Patriarchias, serius Dioeceses compellatas restricta est. Sic Canone 35 Apostolorum: „Episcopus ne audeat extra suos fines facere ordinationes in urbibus et pagis sibi non subjectis.“ Canon II. Concilii II.; „Episcopi ultra Dioecesim in Ecclesias ultra suos terminos ne accedant, nec Ecclesias confundant.“

### § 88. Inter Sedes Episcopales eminent Sedes Patriarchales, quarum Episcopi Patriarchae compellati sunt.

Sedes Patriarchales omnium Episcopaliū sedium, post Romanam sedem Principis Apostolorum, principes fuerunt, utpote Alexandrina, et Antiochena, in quibus Archi-Pater, sive Princeps-Pater Apostolus Petrus resedit; de his S. Gregorius Magnus Libro 6-o Epist. 37. et Libr. 5. Epistola 60. ait: „Veteres Patriarchae tres in una eademque Apostolica sedent Cathedra, et praesident, qui Petri sedi omnes successere; Ecclesiaeque suae, quam unam in unitate fidei fundavit Christus, dedit et Caput unum, quod tribus praincipiis, trium regiarum urbium praesideret coetibus, ita ut tres istae sedes unitatis vinculo necterentur indivisiibili, Ecclesiasque caeteras cum Capite strictissime necterent, quod Caput divinitus institutum est, ut sit totius vertex unitatis.“ Idem autem etiam Innocentius primus enunciat Epistola 18. ad Alexandrum Antiochenum scribens: „Animadvertisimus, non tam prouincialis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstratur.“

Sed S. Chrysostomus, etiam erectionem sedis Episcopalis Hierosolymitanae S. Petro adscribit, qui Jacobum Episcopum Hierosolymis reliquit, et constituit; (Euseb. Hist. Eccl. Libr. 2. Cap. 1.) ideo etiam haec sedes patriarchalis, idest princeps habebatur in memoria erectionis per Principem Apostolorum Petrum. Et reipsa S. Patres omnes principalitatem harum sedium a fundatione per sanctum Petrum Principem Apostolorum, non autem a praerogativa quadam civili repetunt<sup>1)</sup>. Quae dein instituta Imperii Romani nova divisione, Regionum Metropoles evaserunt, et jurisdictionem in totius Regionis Episcopatus, qui dioecesim unam Regionis constituebant patriarchalem, obtinuerunt.

### § 89. De nomine Patriarcharum.

Nomen Patriarchae originis Graecae, Principem Patrum denotat; in veteri Testamento habebant capita tribuum, quae populum israeliticum constituebant. Eversis autem Hierosolymis nomen hoc traxerunt Praesides Synedrii. Apud Christianos primi Montanistae haeretici hoc nomen usurparunt; nec ante saeculum V. in Ecclesia Christiana invaluit. Quum vero Patres Synodi Chalcedonensis, Leonem primum Pontificem totius Ecclesiae Patriarcham salutassent<sup>2)</sup>. Vocis hujus usus in Ecclesia ita invaluit, ut illi Praesules de regula Patriarchae dicerentur, qui non tantum pluribus Episcopis, verum etiam integris nationibus tam-

<sup>1)</sup> Vid. Binterim Tom. 3. pag. 186.

<sup>2)</sup> Tom. II. Concil. Harduin. Col. 257. et 321. Sanctissimo et univesali Archi-Episcopo et Patriarchae magnae Romae.

quam Patres spirituales praeerant. Dum autem Patres Concilii Chalcedonensis Romanum Pontificem universalem totius Ecclesiae Patriarcham salutarunt<sup>1)</sup>, manifestum est: Patres ejusdem Concilii summum Pontificem omnium totius Ecclesiae Christianae Patrum Patrem, sive omnium Episcoporum principem seu apicem agnovisse; ut adeo, nomen Patriarchae aliis Episcopis non eo quo Principi omnium Episcoporum sensu tributum est, sed eo solum, quod inter Episcopos suae Dioecesis Princeps esset, prout testimonium perhibet Theodosius junior Imperator ad Valentianum et Placidum sic scribens: „Si videtur vestrae reverentiae, sanctissimi Patriarchae uniuscujusve Dioecesos elegentes unum aut secundum propriae cuiusque Dioecesos.“ Quodsi jam Patriarchae Constantinopolitani praeeunte Joanne Jejunatore titulum Patriarchae oecumenici sive universalis, sine jure principatus in tota Christi Ecclesia, quod jus soli successori Principis Apostolorum Romano Pontifici proprium est, sibi arrogant, ridiculam rem faciunt, et fastum suum produnt, quem ipsi summo Pontifici Romano perperam appingunt, qui digne sedet in Cathedra Principis Apostolorum Petri, prout praeter jam adducta testimonia Tarasius Patriarcha ipse Constantinopolitanus scribens Adriano Papae<sup>2)</sup> confitetur verbis: „Cum divinus Petrus Apostolus, cuius Cathedram sortita est Sanctitas vestra.“

### § 90. Numerus Patriarcharum.

Historica veritate constat, usque ad dimidium saeculi II. et initium saeculi III. nullum adparere ve-

<sup>1)</sup> Act. 2. Col. 286.

<sup>2)</sup> Apud Bevereg. Tom. II. pag. 184.

stigium, quod inter Apostolos eorumque successores Episcopos, excepto eorum Principe, seu Coriphaeo Petro; facta fuerit distinctio. Verum Canone Apostolorum XXXIV. praescribente: Episcopos cuiusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, et existimare eum ut caput, orti sunt in Ecclesia Archi-Episcopi, ex quibus illi, qui in principalibus sedibus a SS. Apostolorum Principe Petro fundatis, quales erant, ut supra § 88. Alexandrina, Antiochena, et Hierosolymitana post sedem omnium principalem Romanam, constituebantur, Patriarcharum nomine insigniti erant, Romano Pontifici Papae nomine singulari adscripto.

### § 91. De Ordine Sedium Patriarchalium.\*

Post Romanam S. Petri cathedram, sedes Alexandrina praelata est eo etiam, quod civilis auctoritas urbis Alexandrinae inter omnes urbes et praefecturas Romani Imperii post Romanam secunda fuerit. Ad cuius Dioecesim spectabat Aegyptus, Lybia, Pentapolis, et Thiebais.

Post Alexandrinam, in ordine honorabatur sedes Antiochenia, cuius Dioecesis se extendebat per Orientem stricte sic dictum; nimimum, quoque sub Constantino Magno post novam Imperii Romani divisionem, praefectura civilis Orientis se extendebat.

Antiocheniam autem, in ordine exceptit Hierosolymitana, juxta Canonem VII. Concilii Nicaeni I-mi, cum Dioecesi Palestinae.

Constantinopolitanam vero sedem his omnibus praetulit Can. III. Concilii Constantinopolitan I. cuius tenor est: „Constantinopolitanus Episcopus habeat

prioris honoris partes post Romanum Episcopum, ec-  
quod sit ipsa nova Roma.“ Ex quo Canone falsa  
esset argumentatio sequens: Episcopus Romanus ideo  
habuit in Ecclesia principatum, quia Roma fuit urbs  
princeps totius Imperii, sedes Imperatorum: ergo con-  
venit, ut Episcopus urbis Constantinopoleos ad quam  
translata est sedes Imperatoris, eandem habeat pree-  
rogativam, sive principatum. Namque, Episcopus Ro-  
manus tunc etiam principatum in Ecclesia tenuit,  
dum urbs Roma quae nomen Christianum per tria  
saecula persequebatur, nullam pro Christianis politi-  
cam praeeminentiam habuit, et tunc dixit S. Cypri-  
anus: qui Cathedram Petri, supra quem fundata est  
Christi Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non con-  
fidat. Verum his omnibus non obstantibus, Constan-  
tinopolitani, qui orthodoxiam suam recte in eo sitam  
esse volunt, quod a Capite Ecclesiae ac fundamento,  
Cathedra Petri desciverint, et hoc ipso juxta S. Cy-  
prianum extra Ecclesiam se constituerint, titulo fun-  
dationis sedis Constantinopolitanae per Andream Apo-  
stolum, quem ipso S. Petro priorem habere videntur,  
successorem Patriarcham Constantinopolitanum per  
eminentiam oecumenicum Patriarcham venerantur, et  
plane Romano Pontifice e prima sede dejecto, Con-  
stantinopolitanum Patriarcham ejus loco in apicem  
collocarunt, prout novissima editio Codicis Canonum  
Graeci Pidalion 1800 Lipsiae procurata, in Prolego-  
menis ad quilibet Synodus perhibet; sic in Prole-  
gomenis ad Concilium Nicaenum I. scribunt: Principa-  
les autem viri in hac Synodo erant Alexander Con-  
stantinopoleos, dein Locumtenentes Sylvestri Papae.  
In Concilio IV. dicunt: Praesidentes erant, Anatolius  
Constantinopoleos, dein Legati S. Leonis Romani etcet.

sed et antiquior editio Codicis Ecclesiae Orientalis  
„Directorium“, de anno 1652. ad Canonem 36. Concilii  
Trullani, quo Canone decernitur: ut thronus Constan-  
tinopolitanus aequalia privilegia cum antiquae Romae  
throno obtineat, et in ecclesiasticis ut ille rebus ma-  
gnificat, ut qui sit secundus post illum. Postque ma-  
gnae Alexandrini Civitatis numeretur thronus,  
deinde Antiochiae, et post eum Hierosolymitanae  
Civitatis“, in Scholio, contra expressam literam hujus  
Canonis, quod thronus Constantinopolitanus sit post  
Romanum secundus, subjungit provocando ad Cano-  
num III., Concilii Constantinopolitan I. et XXVIII.  
Concilii Chalcidonensis: „Constantinopolitanus Epi-  
scopus non consideretur secundus post Romanum, sed  
solum ratione temporis, cum Roma antiquior urbs sit  
Imperatoria“; idque adstruitur contra Decretum Justi-  
niani, Novella 131., in qua Cap. 1. declarat Imperator:  
ut vicem legum obtineant ecclesiasticae Regulae, quae  
a sanctis quatuor Conciliis expositae sunt, nimirum:  
Nicaeno; Constantinopolitano; Ephesino et Chalce-  
donensi; atque hinc (Cap. 2-do) decernimus: secundum  
earumdem Synodorum definitiones, sanctissimum senio-  
ris Romae Papam primum esse omnium Sacerdotum.  
Beatissimum autem Archi-Episcopum Constantinopo-  
leos novae Romae, secundum habere locum, post San-  
ctam Apostolicam senioris Romae sedem.

Cumque taliter observarent Constantinopolitani,  
nec continuam Ecclesiae traditionem, neque etiam  
Synodorum decreta sua ambitioni suffragari, ad aucto-  
ritatem S. Andreae Apostoli configurerunt, et hoc titulo  
superioritatem ac prioritatem sedi Constantinopolita-  
nae vindicare conati sunt; uti patet ex Epistola Leo-  
nis Archi-Episcopi Bulgariae. „Ad eos, qui dicunt

Romam esse primum Thronum“ \*); in qua in hanc rem haec leguntur: „Porro si Roma propter summum Apostolum principatum quaerit, Byzantium propter Andream primum vocatum, et fratrem natu primum, primas habebit. Ipse enim annis non paucis Byzantii Episcopatum susceperebat, antequam frater ejus Romae Episcopus esset.“

Sed nec in hoc sibi Constantinopolitani constant, et observant, in hoc parum esse argumenti Primatum Romani Pontificis eludendi; hinc relicta Constantino-poli, pergunt Antiochiam, ibidem praesidium erroris quaesituri. Idem nempe Leo-Archi-Episcopus Bulgariae in eadem Epistola contra eos, qui dicunt Romanam esse primum Thronum, hoc est contra totam Catholicam Ecclesiam, contra continuam sanctorum Patrum doctrinam, et ipsas Synodos, quae omnes sedem Romanam in apice constituunt, inquit: „Si Roma, quod Principem Episcopum suscepit, prima sit, Antiochia potius primas habebit; Petrus enim Apostolus in Antiochia Episcopatum gessit, antequam in Roma.“

Verum nec Antiochiae conquiescunt, sed Hierosolymas configiunt, desertoque tam throno Constantinopolitano, quam Antiocheno, dicunt praeeunte eodem Leone Archi-Episcopo Bulgariae, in eadem Epistola et quidem Canonica: „Rursus, si a personarum qualitate thronis primas tenere datur, quomodo p[re]ae omnibus manifesto Hierusalem principatum non habebit? Ipse enim Petri, omniumque nostrum communis creator et Dominus, primus et magnus Pontifex, omnis vitae

\*) Vid. Alexii Aristin Epist. Canon. Synopsis apud Bevereg. Tom. II.

fons, et ordinis Sacerdotalis, illic natus est, et conversabatur, et se se propter mundi salutem libens obtulit. Hinc orthodoxa Confessio Part. I-a qu. 84.; „Inter particulares Ecclesias illa mater reliquarum dicatur, quae prima omnium praesentia Christi ornata fuit. — Est itaque haud dubie mater et princeps Ecclesiarum omnium Ecclesia Hierosolymitana, quoniam ex illa in omnes orbis terminos diffundi coepit Evangelium; quamvis postea Imperatores, primos dignitatis gradus antiquae, novaeque Romae tribuerint, ob majestatem Imperii, quae iis locis domicilium habebat.“

Verum Constantinopolitani nec Hierosolymis securum pedem fixerunt; namque secundum Leonem Archi-Episcopum Bulgariae, illa urbs habenda est prima, ubi Christus natus est; cum per errorem dicat Christum Hierosolymis natum fuisse, cuius nativitatis locus Bettlehem fuit, et in sacris scripturis ideo etiam extollitur, Matth. C. II. v. 6.: „Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.“ Quod autem Hierosolyma in qua perfecta est salus mundi, sit omnibus Christianis pretiosissima, dubium non patitur; hoc tamen non obstante, Hierosolymitanae Ecclesiae Episcopo nec per sanctos Patres, nec per Synodos specialia jura, aut supra omnes orbis Episcopos honoris praerogativa tributa est; quoniam Ecclesia, quae Principem Apostolorum, quem Christus sibi in terris Vicarium et Caput Ecclesiae reliquit, non ignoravit unquam, hujus successorem non Hierosolymis, sed Romae recognovit, ac propterea etiam Imperatores ejus, non propter urbem, Principatum in tota Ecclesia agnoverunt, prout citata eorum edicta

clare docent. Quodsi Leo Archi-Episcopus Bulgariae et illi assentientes Constantinopolitani, secundum Epistolam Canonicam supra citatam, auctoritatem Pontificis Romani a pagano Imperatore Aureliano, qui litis decisionem in causa Episcopi Pauli Samusateni Antiocheni, ad Romanum Episcopum relegavit, repetunt, nihil aliud ostendunt, quam ipsos paganos, pro auctoritate et potestate Romani Pontificis, quam de cetero orthodoxa fides Christianorum omnium saeculorum comprobavit, testimonium ferre. Dum autem orthodoxa Confessio Ecclesiae Orientalis Parte 1-ma quaest. 85. declarat: „Docemur solum Christum Ecclesiae suae Caput esse. Tametsi vero Antistites in Ecclesiis, quae eis praesunt, capita eorum dicuntur; sic illud tamen accipiendum, quod ipsi Vicarii Christi in sua quisque provincia, et particularia quaedam Capita sint.“ Universam Ecclesiam visibili Capite et centro unitatis visibili privat, et manifeste cum Acatholicis communem doctrinam tradit, et haec confessio haeretodoxa est; hincque provide fecerunt Imperatores civiles, dum tales Ecclesias, quae divinitus sibi prae-fixum commune caput et regimen non recognoscunt, suo Imperio divinitus in civitatem constituto subjecerunt; cum per civilem potestatem supplendum sit id, quod divinitus constitutum esse negatur; ne tales dissolutae Ecclesiae in finem ipsius civitatis impingant. Nemo autem crediderit Christianos Principes sine discrimine, conscos non esse, distinctam esse Ecclesiam a societate civili; prioris finem esse spiritualem, aeternum, civitatis autem esse securitatis temporalem; atque utramque societatem a DEO ipso institutam esse, quae penes invicem et ad mutuum adjutorium, associationem proprii finis mediis propriis operatur;

ac proinde, quamlibet societatem proprio suo regimine et quidem a DEO constituto gubernari debere. Neque Imperatores ipsi, formam regiminis Ecclesiae Aristocraticam, cuius analogon in tota natura a DEO creata non datur, e divina institutione recognoscere possunt; qualis regiminis forma, ubi in ipsa civili societate introducta erat, non diu perstitit, sed in Monarchicam desinere debuit. Ut igitur Ecclesia, quae divinitus sibi constitutum supremum Rectorem non agnoscit, regatur, et non dissolvatur, Imperatores ipsi regimen talis Ecclesiae in sua persona concentrare, et per Synodos dirigentes a se constitutas, easdem separatim gubernare coguntur. Ex hinc autem simul luce meridiana clarius est: solam Ecclesiam Romano-Catholicam, quae divinitus sibi constitutum caput, et rectorem universalem veneratur, indolem et constitutionem ad universalitatem idest catholicitatem habere; cuius regiminis jurisdictio nullis particularibus regnorum limitibus restringitur, sed ad totum latepatentem orbem terrarum, juxta divinam ejus institutionem extenditur. „Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.“ Haec est appromissio DEI Ecclesiae facta.

### § 92. Status praesens Sedium Patriarchalium Orientis.

Imperio Graccorum (juxta commune Directorium slavicum pag. 4. et sequentibus) in multas partes, propter multitudinem peccatorum dissipato, et in potestatem paganorum (Turcarum) redacto \*) Constantiopolitano Patriarchae subjecti manserunt 150 in circa Episcopi, inter quos sunt 25 Metropolitani, quorum

\*) Jus Ecclesiasticum Joannovits. Pag. 62.

plerique suffraganeis carent. Provinciae, in quas jurisdictionem exercet, sunt: Asia minor; Insulae maris Aegaei, et Thracia.

Cultum ei deferunt etiam Russia, quae Magno Basilide imperante proprium obtinuit Patriarcham, nunc autem a Synodo Petropoli residente, independenter gubernatur; dein Graecia, quae pariter a Synodo Athaenis residente regitur. Bulgaria, quae proprium ac independentem Patriarcham, qui olim in utraque Dacia jurisdictionem habebat, obtinuit Ternoviae residentem. Valachia et Moldavia, quorum Metropolitae qua Exarchae, a jurisdictione Patriarchae Constantinopolitani exempti, propria potestate independenter Ecclesias suarum provinciarum regunt. Serbia, et Serborum provincia ecclesiastica in Imperio Austriae, quae tamen proprium Patriarcham cum titulo „Ipekiensis“ habet. Denique aliqui Episcopi non uniti in Austriae Imperio, nempe Transilvaniensis, cum residentia originarie in oppido Rasinari, nunc Cibinii, Bucovinensis, et Dalmatinus, nulli Metropolitae aut Patriarchae subjecti.

Alexandrinus Patriarcha disunitus Graecus, sedem habet nunc in Cairo, et jurisdictionem exercet in variis Africae et Arabiae provincias.

Antiochenus disunitus Patriarcha residet Damasci, et praest Provinciis: Soriae, Mesopotamiae et Carmantiae.

Hierosolymitanus denique Patriarcha graeci ritus disunitus, Palestinis, et finitimis Arabiae Ecclesiis praest.

### § 93. Graeci Ritus Catholici in Unione cum Ecclesia Romana constituti.

1. Patriarcha Melchitarum, Antiochenus. Melchitae, sive regalistae dicti graeci-catholici, quia Catholicam fidem per Marcianum Imperatorem edictis inculcatam servarunt, in oppositione ad disunitos et haereticos Graecos, Eutychianos et Jacobitas.

De hoc Patriarcha Catholico Melchitarum Graecorum ait Benedictus XIV. Pontifex, in Bulla, (vide Bullarium Tomo II. pag. 21. in Appendice): Praeest Cyrillus noster genti Melchitarum, quae hodie Catholicos ingenti numero complectitur, quaeque decem Episcopis, qui ipsum tamquam legitimum Patriarcham venerantur, et colunt, provide, gubernantur.

2) Patriarcha Maronitarum, cum titulo etiam Antiocheni, quem Benedictus XIV. datis 26. Martii 1743. Literis: „Apostolica Praedecessorum“ etc. sic commemorat: Patriarcha Antiochiae, ac totius nationis Maronitarum.“ Sedem habet in monte Libano, in Coenobio, quod Connubiense dicitur. Sub quo sunt Archi-Episcopi et Episcopi juxta statutum in Synodo 3-a Septembri 1736. conditum, sequentes: 1. Aleppi. 2. Tripolis cum Janiel, Arca Balanea, Aradum, Orthosiadre, Gabalo, Laudicea. 3. Bybli et Botri, cum jurisdictione etiam in Dioeceses Acurae, Dairolomani et Regionis Bisarajae. 4. Helipolis, cum jurisdictione etiam in Dioeceses Phatuchae, Guta et Gazir. 5. Damasci. 6. Cyri, cum Regione Chesroe usque ad pontem Beryti. 7. Beryti, cuius jurisdictione extenditur usque ad pontem fluvii Cadi, seu Tamiris. 8. Tyri et Sydonis usque ad sanctam Civitatem Hierusalem.

3) Graeco Catholicis adnumerantur etiam Graeci et Albanenses, qui in Italia et adjacentibus Insulis degunt, qui grassante jam dudum in Oriente barbarorum immanitate, ex Graecia, Epiro, Albania, aliisque Asiae Regionibus ad Italiam; eique adjacentes Insulas, tamquam ad fidei et tranquillitatis portum configuentes, ibidem sedes, et domicilium collocarunt; et tam ipsi, quam eorum posteri Graecorum mores, instituta, ritus et consuetudines a Graecis progenitoribus sibi traditas, studiose observant. Quibus ut praesto sint Ministri, a quibus juxta proprium ritum sacramenta percipient, Clemens VIII. Pontifex anno 1595. constituit Romae habendum esse Episcopum Graecum Catholicum. Clemens vero XII. anno 1735. ut Italo-Graecorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret, alterum ejusdem ritus Graeci Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto, propter Graecorum hujusmodi ordinationes manere jussit. Quorum laudatissimum institutum confirmavit et innovavit Benedictus XIV. Constitutione: „Etsi Pastoralis“ Tom. I. Bullarii pag. 167 \*).

4) Graeco-Catholici in Monarchia Austriaca. Metropolita Graeco-Catholicorum in Galicia Leopoliensis, cum suffraganeo Episcopo Przemisliensi; item Ruthenorum Episcopi in Hungaria Munkatsiensis, et Eperjesiensis, ac in Slavonia Crisiensis.

5) Provincia ecclesiastica Graeco-Catholicorum Romanorum Albo-Julienensis, sub Metropolita Albo-Julieni, Dioecesano Fogarasiensi, cum Magno-Varadiensi, Lugosiensi, et Samos-Ujvariensi Episcopis suffraganeis. In Imperio Austriaco sunt supra quatuor miliones Graeco-Catholici, Ruthenae et Romanicae nationis.

\*) Vid. Antoine Pars II. de Sacris Ritibus pag. 36.

#### § 94. De Juribus Patriarcharum.

Patriarcharum jura olim ampla erant; nempe:  
 1) Omnes ditionis suae Metropolitas confirmandi et consecrandi. 2) Synodos convocandi et iis praesidendi. 3) In Metropolitas et eorum suffraganeos censura animadvertisendi. 4) Graviora suae ditionis negotia decidendi. 5) Appellationes a Metropolitis et Synodis provincialibus admittendi. 6) Unitati fidei et disciplinae integritati per suum Patriarchatum invigilandi, eam tuendi et vindicandi.

#### § 95. Exarchae, Primates, Archi-Episcopi et Metropolitae.

Exarchae sunt Archi-Episcopi regionum, qui jurisdictionem quasi patriarchalem exercent. Primates autem sunt primi Archi-Episcopi Regionum. Archi-Episcopi sunt Primi inter Episcopos alicujus provinciae, qui ipsis suffraganei sunt. Metropolitae denique, qui titulum urbis Metropolis habent, quorum aliqui Suffraganeos non habent, pro exemplo, Metropolita Armenorum Catholicorum Leopoliensis.

#### § 96. De juribus Archi-Episcoporum Metropolitanorum in genere.

Quae jura competant Archi-Episcopis Metropolitanis, Canon XXXIV. Apostolorum indicat sequentibus: „Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis primus est et existimare eum ut caput; et nihil facere, quod sit magni momenti praeter ejus sententiam, illa autem sola facere unumquemque quae

ad suam parochiam pertinent, et pagos, qui ei subsunt; sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. Sic enim erit concordia et glorificabitur Deus“ etcet.

Quem Canonem sanctorum Apostolorum Zonaras sic interpretatur: „Quemadmodum corpora, dum caput sanam vim suam minime conservat, male moventur, aut omnino sunt inutilia; sic etiam corpus Ecclesiae, si non qui ei praeest, et ordine certo munus implet capitum, in suo conservetur honore, intemperanter et incondite commovebitur. Propterea praesens Canon, Primos cujusvis provinciae Episcopos, Metropolitanos videlicet Archi-Episcopos, aliorum per eam provinciam Episcoporum caput existimari jubet; ac sine illis agere nihil, quod Ecclesiae statum communem respiciat; cujusmodi sunt: Dogmaticae quaestiones; super erratibus communibus dispositiones, Pontificum constitutiones, et quae sunt ejusmodi. De istis autem ad eum convenientes consultare, et quod omnibus optimum videatur determinare; unumquemque vero Episcopum, prout ipsi visum fuerit, Ecclesiae propriae; subditorumque sibi locorum peculiariter administrationem gerere. Sed nec primo quidem Episcopo Metropolitanu concedit, ut honore abutens hunc mutet in dominium, et uni sibi potestatem arroget; modoque dictorum vel similium quid agat, sine communi consacerdotum Episcoporum sententia, vult enim Episcopos consentire charitatisque vinculo colligari: et exemplum esse Clero sibi subjecto, populoque dilectionis et concordiae“ \*).

\*) Vide Bevereg. Tom. I. pag. 23.

### § 97. Jura Metropolitanorum Archi-Episcoporum specialia.

Ex priori §-o adducto Canone SS. Apostolorum deducuntur sequentia jura Metropolitarum: 1) Episcopos provinciae in Synodus congregandi ad objecta communia totius provinciae ecclesiasticae, fidei nempe, morum, et disciplinae tractanda et decidenda. 2) Episcopos suffraganearum Dioecesum ab Episcopis provinciae electos, cui tamen electioni Metropolita interesse non debet<sup>1)</sup> confirmandi et consecrandi, accedente tamen assensu Patriarchae, qui est Metropolita Metropolitanorum; quosuper Innocentius Pontifex ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum sequentia scribit<sup>2)</sup>: „Itaque arbitramur Frater charissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinis singulari, sic et ceteros non sine permisso et conscientia tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos literis datis ordinari censes ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu. Quorum enim tua te maxime exspectat cura, praecipue tuum debent mereri judicium.“ 3) Ab Episcoporum sententia appellationes recipere, juxta Concilii Carthaginensis Canonem XXXI. 4) Ad jura Metropolitarum referunt aliqui etiam jus Episcopos suae provinciae officii incurios ad officium revocare, sed hoc jus summi Pontificis est, qui Episcoporum ordinarius judex est. Praeter haec non competit Metropolitis jurisdictione in suffraganeas Dioeceses. Canone

<sup>1)</sup> Vide Balsamon ad Can. XIII. Concilii Carthag. Bevereg. Tom. I. pag. 828. A.

<sup>2)</sup> Petrus de Marca pag. 12.

2-o Concilii II.: „Metropolita suam dirigat Archi-Dioecesim, nec limites ejus excedat.“ Imo si contingat eum sacra celebrare in regionibus subalterni illius Episcopi, haec pro dispositione hujus fieri oportet; in sacris autem oblationibus neutiquam nomen Metropolitae, nisi in propria Archi-Dioecesi, sed Patriarchae aut summi Pontificis commemorandum (Com. Direct. Cap. 59. f. 599.\*), sede vero Episcopali vacante in sacris Metropolita commemorandus.

## CAPUT V. DE CONCILIIS.

### § 98. Conciliorum notio et divisio.

Concilium, graece Synodus, est congregatio Episcopatus ad definiendam fidem, et leges ecclesiasticas condendas. Concilia sunt vel generalia oecumenica, in quibus totus Episcopatus repraesentatus est; vel provincialia, alias particularia, localia, ad quae provinciae alicujus ecclesiasticae Episcopi, sive Metropolita cum suffraganeis Episcopis congregantur. Item Dioecesana, dum Episcopi cum dioecesanis sacerdotibus congregatis consilia ineunt.

### § 99. De Conciliis Oecumenicis seu generalibus, eorum Characteribus.

Codex Canonum Ecclesiae Constantinopolitanae novissimus in Prolegomenis ad Concilium primum Ni-

\*) Vid. Joannovits Tom. 1. pag. 80.

caenum, juxta Dositheum hujus Ecclesiae doctorem, quatuor characteres Concilii oecumenici assignat\*).

1) Convocationem per Imperatorem, quae tamen nota, etiam in particulari Synodo obtigit, prout in Synodo Sardicensi, quae convocata est per Constantium et Constantem Imperatores.

2) Ut Synodus sit congregata, in objecto fidei; seu ad definiendum dogma; sed haec quoque nota obtigit in particularibus Synodis; ita Synodus Carthaginensis congregata fuit contra Pelagium.

3) Nota Concilii oecumenici est, ut Dogmata et Canones in Synodo statuti concordent sacrae Scripturae, et anteriorum Synodorum oecumenicarum definitionibus; quae nota perinde et particularibus Synodis propria esse debet.

4-ta denique nota, eaque Concilii oecumenici propria est; acceptatio universalis definitionum dogmaticarum et decretorum, per omnes totius orbis Christiano-Catholici Patriarchas et Episcopos, qui aut personaliter in Synodo praesentes sint, vel per legatos, vel vero etiam absentes scripto consensu accedant.

Atque talem Synodum oecumenicam, quae has quatuor, imprimis autem ultimam notam characteristicam habet, dicunt Graeci, esse Ecclesiam Catholicae, in quam illi, secundum Symbolum credunt. Nam huic solum Ecclesiae, idest Synodo oecumenicae promisit Christus Redemptor mundi spiritum consolatorem, spiritum veritatis, qui maneat cum ea in aeternum, apud Joannem Cap. 14. v. 16. Qui Spiritus Sanctus docebit hanc Ecclesiam omnia. Joannis 14. v. 26. Cum hac Ecclesia solum, seu cum Concilio oecumenico est Christus perpetuo omnibus diebus usque ad con-

\*) Dosith. Dodicabylon pag. 1018.

summationem saeculi Matth. C. 28. v. 20. Atque haec solum Ecclesia, quam reprezentat Synodus oecumenica est juxta S. Paulum 1-ae ad Timot. C. 3. v. 15. Ecclesia DEI vivi, columna et firmamentum veritatis.

### § 100. Continuatio, de Auctoritate Conciliorum oecumenicorum juxta sensum Ecclesiae Graecae.

In iisdem prolegomenis ad Concilium Nicaenum I. dicunt porro Graeci: Unicum judicem controversiarum fidei esse Concilium oecumenicum, ac simul supremum Judicium et Tribunal in causis ecclesiasticis, a quo solo nulla datur appellata. Hinc concludunt: Jus et potestatem quam habet Monarcha in politicis, eandem habet Synodus oecumenica in Ecclesia. (Dositheus in Dodica Biblon. pag. 309. et 384.)

Ergo progrediuntur Graeci: Non sacra Scriptura est supremus judex controversiarum fidei, prout Luther-C Calviniani adstruunt, sed Synodus oecumenica; sacra enim Scriptura in multis locis obscura est, et quilibet haereticus depravando scripturae sensum eamdem ad suam haeresim applicuit. Ideo, necessarius est infallibilis Interpretator, qui est sola Synodus oecumenica, juxta S. Augustinum, qui dicit: „Non credrem quatuor Evangelii, nisi Ecclesiae Catholicae me convinceret auctoritas.“ Ideo, nemini licet contradicere, aut obsequium denegare Synodo oecumenicae, qui Catholicus nominari et esse vult. Quoniam et Papa anathemate ferit illos, qui non obediunt Conciliis oecumenicis, et ipsae Synodi. Qui Ecclesiam non audierit dicit Christus Matth. 18. v. 17. sit tibi sicut ethnicus et publicanus, idest ab Ecclesia expulsus.

### § 101. Graecorum Sententia de numero Synodorum oecumenicarum.

Porro dicunt Graeci in prolegomenis ad Concilium Nicaenum I.: „Convenit et id adjicere, quod in veritate septem sint tantum Synodi oecumenicae, quoniam illis solis Notae omnes characteristicae Concilii oecumenici adscribi possunt, et quia omnis necessaria scientia in iisdem definita est. Ideo omnes quaestiones, quae ex Definitis et Decretis per easdem septem Synodos emergerent, facile solvi possunt. Sunt autem illae septem Synodi oecumenicae: Nicaena I., Constantinopolitana I., Ephesina, Chalcedonensis, Constantinopolitana II. et III., et Nicaena II.“

### § 102. Examen Sententiae Graecorum quoad Concilia oecumenica.

Primo et ante omnia suboritur quaestio: Utrum Concilia oecumenica sint absolute necessarium, et unicum gubernandi Ecclesiam Christianam Institutum? Ad quam quaestionem sequens responsum sufficiat: Nullum dubium est, in Concilio oecumenico reprezentari Ecclesiam docentem per Christum institutam, Magisterium illud Petro-Apostolicum, cui Christus, qui Ecclesiam sibi acquisivit sanguine suo mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, doctrinam suam docendam, et regimen Ecclesiae suae, penes propriam per Spiritum suum Sanctum, spiritum veritatis assistentiam, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ei ad futuram concredidit: sed erraret quis, et rem absurdam propugnaret, qui adstrueret, idem ipsum Eccle-

siae Magisterium Petro Apostolicum nonnisi in Concilio oecumenico congregatum, potestatem a Christo sibi datain tam docendi, quam regendi Ecclesiam exercere posse; aut vero solum Ecclesiae congregatae, non vero etiam dispersae, eandem Christi per Spiritum Sanctum assistentiam adesse; aut vero Christum ad talem modum gubernationis Ecclesiae, suam assistentiam ligasset, qui non semper in potestate Ecclesiae est, et plurium saeculorum decursu observari, idest Concilium oecumenicum congregari non potuit. Juxta hanc sententiam Graecorum: „Synodus oecumenicam esse solum Ecclesiam Catholicam,” in quam Graeci juxta Symbolum credunt, tribus primis Christianae fidei saeculis usque ad Concilium primum oecumenicum nempe Nicaenum, Ecclesia Catholica non exstitisset, quae non a Spiritu Sancto Apostolis quinquagesimo post resurrectionem Christi die infuso, sed a Concilio Nicaeno primo initium existentiae suaee ceperisset. Juxta eam Graecorum sententiam usque ad Concilium oecumenicum I. seu Nicaenum, Ecclesia non habuisset Magisterium, non Judicem controversiarum fidei, non supremum Tribunal in causis ecclesiasticis a quo non datur appellata; aut saltem Magisterium Ecclesiae per tria saecula non docuit, veram fidem contra haereticorum commenta non enunciavit, et causas ecclesiasticas non cognovit et judicavit; quod historicae veritati et sapientiae divinae Christi, Ecclesiae fundatoris repugnat. Certe Christus non dixit Apostolis suis et successoribus, sedete in Concilio, sed ite in universum mundum et praedicate Evangelium omni creaturae, et ecce Ego vobiscum sum non tantum quando congregati eritis in Concilio oecu-

meoico, sed semper, omnibus diebus, etiamsi non fueritis congregati usque ad consummationem saeculi.

Historia autem, inde ab ascensione Jesu Christi in coelos Magisterium Ecclesiae Catholicae a se institutum exhibit Petrum et successores ejus, per quos Ecclesia Christi-Catholica est. Sic Actorum Apostolorum C. 1. v. 15.: In diebus illis exurgens Petrus, (Christo in Regimine Ecclesiae succedens) in medio fratrum dixit ad eos: ut loco Judae proditoris eligerent Apostolum, et elegerunt Matthiam. Accepto autem Spiritu Sancto die decimo post ascensionem Domini, Actuum Apostolorum Cap. II. v. 14: Stans Petrus cum undecim levavit vocem suam, et locutus est eis: et eodem Capite v. 37: Audita praedicatione Petri, interrogavit multitudo audientium Apostolos, quid faciemus viri fratres? Petrus vero pro toto Apostolorum Coetu v. 38. respondit: Poenitentiam agite, et baptisetur unusquisque vestrum in nomine Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti, et juxta v. 41. baptisati sunt illo die ad praedicationem Petri circa tria millia. Sed et primus inter Apostolos Petrus praedicationem suam miraculo roboravit. Actorum C. III. v. 6.: Petrus autem dixit claudio ex nativitate: In nomine Jesu Christi Nazareni dico tibi surge et ambula, et apprehensa manu elevavit claudum, et protinus exiliens stetit et ambulabat. Eodem Capite v. 12.: Videns autem Petrus respondit ad populum. Capit. IV. v. 8. coram Synedrio constitutis Apostolis: Repletus Petrus Spiritu Sancto, dixit ad eos: „Principes populi et seniores audite.“ Ecce Magistrum Ecclesiae Petrum. Sed videamus et primum et supremum in Ecclesia Judicem Petrum, Actuum Apostolorum Cap. V., ubi legitur: Anania, et

Saphira ejus uxor vendiderunt agrum pro pauperibus, et fraudaverunt de pretio agri, partem tantum adferrentes ad Apostolos, v. 5. dixit Petrus: Anania, cur mentitus es Spiritui Sancto, et confestim cecidit Anania et mortuus est. Et v. 9. Saphirae uxori ejus dixit Petrus: cur tentasti Spiritum Sanctum, et confestim cecidit mulier ad pedes Petri, et exspiravit. Capite autem V. v. 15., exponebant infirmos suos, ut veniente Petro eos saltem umbra illius obumbraret, et sanarentur. Et Capite XV. in Synodo cum Apostolis, se ipsum etiam in Synodo Principem Magistrum exhibuit Petrus: et judicem controversiarum. V. 7.: Surgens Petrus dixit ad Apostolos congregatos: „Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere; et v. 10.: Num quid tentatis Deum, imponere volentes jugum (circumcisionis et observantiae legis Moysis) cum v. 11. non per circumcisionem et legem Moysis sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus hominem salvari.“

Sed et successores Principis Apostolorum Petri Pontifices Romani criterium Catholicae Christi Ecclesiae ante Synodos oecumenicas pluribus saeculis in se ipsis tamquam Ecclesiae fundamentis exhibuerunt. Sic saeculo I. exortis in Ecclesia Corinthiorum dissensionibus, quamvis S. Joannes Apostolus Ephesi vivus et vicinus esset; tamen eas S. Clemens Romanus Petri successor composuit. Saeculo II. haereticus Marcion excommunicatus ad successorem Petri qua supremum judicem Romanam appellavit. Eodem saeculo II. S. Pollicarpus Episcopus Smirnensis, ad componendam causam quoad tempus celebrandi Paschatis Romam profectus, et sententiam Aniceti Petri successoris expe-

tit; cuius successor Victor, auditis Episcopis eos, qui ab observantia Ecclesiae Romanae quoad celebrationem Paschatis contrariam exercuerunt consuetudinem, damnavit. Saeculo III. in causa Baptismi ab haereticis collati Stephanus Petri successor Romanus Pontifex contra Synodum Africanam causam decidit. Eodem saeculo III. Cornelius Pontifex Romanus, qua successor Petri, in causa lapsorum, decretum Concilii Carthaginensis supra auctoritate confirmavit. Eodem saeculo III. Dionysius Pontifex doctrinam Dionysii Alexandrini velut erroneam improbavit. Atque Fabianus Pontifex Romanus sententiam Synodi Alexandrinae condemnationis et depositionis Origenis supra sua auctoritate et judicio confirmavit. Eodemque saeculo III. plane ipse paganus Imperator Aurelianus decisionem litis in causa haeretici Pauli Samosateni ad Romanum Pontificem relegavit.

Ecce ergo Ecclesiam Catholicam ante Concilium oecumenicum. Ecce Magisterium et Regimen Ecclesiae extra Concilium oecumenicum. Ergo Ecclesia Catholica non est solum Concilium oecumenicum prout Constantinopolitani adstruunt. Sed Ecclesia Christi Catholica est semper omnibus diebus usque ad consummationem saeculi Magistrum ejus et supremo regimine ad solum Concilium oecumenicum haud resticto, per quod ipsum Magisterium Petri, petram fidei, supra quem aedificata est Catholica Ecclesia, omne Concilium et cum ejus auctoritate, oecumenicum seu universale esse potest, ac sine illo Concilium oecumenicum dari non potest. Ideo et S. Cyprianus adhortabatur eos, qui Romanam se conferebant, ut agnoscant in Cornelio Pontifice Romano radicem Ecclesiae Catholicae, et S. Basilius affirmabat, se ad Episcopum

Romanum scripsisse, ut causam expenderet, et suum decretum interponeret. Ideo, et S. Hieronymus ad Pontificem Romanum Damasum scripsit: „Ego Beatiudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior; super hanc petram aedificatam esse Ecclesiam scio.“

### § 103. Ulterius examen Sententiae Graecorum Constantinopolitanorum de notis Synodi oecumenicae, et numero Synodorum oecumenicarum.

Constantinopolitani Graeci asserunt: primam notam characteristicam Synodi oecumenicae esse, ut convocetur per Imperatorem; qua nota admissa, jam amplius Synodus oecumenica servari non posset, et juxta sententiam Graecorum, cum Ecclesia Catholica sit sola Synodus oecumenica, ipsa Ecclesia Catholica, supremus Judex controversiarum fidei, et supremum Tribunal, quod in suprema instantia absque ulteriori appellata in causis ecclesiasticis judicium ferat, cessare deberet, posteaquam talis Imperator Christianus, qui Synodus oecumenicam congregare posset, non amplius existit. Ita Graeci ex sola oppositione auctoritati per DEUM in Ecclesia constitutae, quam Patres eorum et mundi Doctores in Cathedra Petri venerabantur, totam Ecclesiae vitam abscindunt.

Quibus ad angustias redacti Graeci non dubitant adstruere; jam non amplius necessarias esse Synodos, sed sufficere recognitas septem Synodos oecumenicas, in quibus integrum fidei Christianae fundamentum in enunciatis per eas dogmatibus depositum est, ex quo occurrentes de hinc quaestiones circa fidem facile solvi possunt. Sed fors etiam Canones eorumdem

Conciliarum disciplinares adeo immutabiles et universales erunt, ut omni tempori et loco congruant, et hoc etiam obtutu in Synodus oecumenicam convenire opus non erit? etiam si plures septem Synodorum oecumenicarum Canones mutatis temporibus exoleverint, sicut Canones poenitentiales; et an non pro praesentibus Ecclesiae adjunctis, quipiam adhuc Canones disciplinares requirentur? aut vero non est, nec esse debet vita activa in Ecclesia, ad ipsam disciplinam juxta crescentem in Ecclesia perfectionem, amplius perficiendam?

Sed porro, in quantum sola Synodus oecumenica est judicium illud supremum, a quo in controversiis et causis ecclesiasticis nulla datur appellatio, Patriarcharum autem, et etiam Synodorum particularium sententiae adhuc ad Synodum oecumenicam appellari possunt; quomodo assertio haec Graecorum subsistet, si juxta illos Synodi oecumenicae amplius necessariae non essent? Sic enim in systemate Graecorum Ecclesia Christi supremo judice, a quo non datur appellata deince spoliata esset, proinde Ecclesia sine Capite, sine supremo judice esset societas imperfectissima, quae sapientiae auctoris ipsius DEI repugnaret.

Si denique sola Synodus oecumenica habet eamdem potestatem in Ecclesia, quam habet Monarcha in statu civili, non servatis Synodis oecumenicis illa potestas suprema in Ecclesia deerit. Et reipsa ab octavo saeculo quo juxta Graecorum sensum, series Conciliarum oecumenicorum conclusa est, deest Graecis et omnibus eorum asseculis suprema in Ecclesia auctoritas; et semper deerit, usque dum adjutrice Spiritus Dei gratia se iterum conjunixerint a DEO constituto universalis totius gregis Christi Pastori, qui semper

vivit in Ecclesia, in successoribus Petri Pontificibus Romanis, qui idem supremum Ecclesiae Magisterium sustinent, quod in recognitis per Graecos, et aliis usque ad viginti unum Conciliis oecumenicis et dehinc adhuc celebrandis, et praeter Concilia omnibus diebus sustinuerunt, ac semper sustinebunt.

#### § 104. Continuatio refutationis Graecorum.

Sed et illud falsum est quod Graeci praetendunt videlicet: Magisterium Ecclesiae in recognitis a se septem Conciliis oecumenicis conclusum esse ita, ut omnes circa fidem emergere queuntur quaestiones, ex iis, quae in iisdem Synodis definita sunt, facile solvi possint. Quod assertum factice refutavit Epochæ Reformationis saeculi XVI. dum Luthero-Calviniani ad fidem suis haereticis doctrinæ conciliandam, consonantiam earum cum confessione Graecæ Ecclesiae asserebant, imprimis postquam Cyrillus Lucaris, oecumenicus Patriarcha Constantinopolitanus, haeresi Reformatorum non modo subscriptis, sed et protectus a Legato Angliae Constantinopolitano, procurata distincta Typographia anno 1627. Catechismum quoque juxta principia Calvini constructum typis edere tentavit; a quo tamen ausu per Catholicum Galliae Legatum praepeditus est, et depositus; sed iterum 1636. favore Legati Anglorum sedi restitutus, cum necedum cessaret haeresim fovere, occultæ politicae consociationis coram regimine Turcico insimulatus supplicio mortis peremptus est. Qua occasione non provocarunt Graeci contra haeresim Reformatorum ad conclusum illud septem Conciliorum oecumenicorum Magisterium, ad enunciandum, septem et nec plura

nec pauciora esse novae Legis Sacraenta, atque substantiam panis in S. Sancto Eucharistiae sacramento converti in corpus, substantiam autem vini in sanguinem Christi. Quodsi haec clare in definitionibus dogmaticis septem Conciliorum oecumenicorum contenta fuissent, suffecisset contra novos haereticos, ad definitiones eorundem Conciliorum provocare; sed cum eae non suffecerint, remedium Synodorum iterum resumerent Graeci, atqne mox in Concilium Constantinopolitani congregati, sequentes Anathematismos pronunciarunt:

Anathema Cyrillo, qui adstruxit totam Ecclesiam orientalem Calvino consentire.

Anathema Cyrillo, qui docet et credit: quod sancta Jesu Christi Ecclesia mentiri possit.

Anathema Cyrillo, qui docet sanctos intercessores nostros apud Deum non esse.

Anathema Cyrillo, qui docet: non esse in Ecclesia septem Sacraenta, et Christus nobis in Evangelio tantum duo, videlicet Baptismum et coenam reliquerit.

Anathema Cyrillo asserenti: quod panis et vinum Eucharistiae post consecrationem Presbyteri, et desessionem Spiritus Sancti non transmutetur in verum corpus et sanguinem Domini.

Anathema Cyrillo, qui docet: quod eleemosyna et preces vivorum, defunctis in poenitentia nihil prosint.

Anathema Cyrillo, qui cultum sanctorum et imaginum rejicit.

Anathema omnibus, qui illius mendaciis infascinati sub nomine orientalis Ecclesiae conscriptos per eum articulos legunt, et spiritu eorum inficiuntur.

Sed et subsequae Synodi Graecorum schismaticorum Jassiensis de anno 1642., et Hierosolymitana de anno 1672. non provocarunt ad septem Synodos oecumenicas, in quibus oppositae Cyrillo et Calvinus orthodoxae enunciationes comprehendenderentur, verum ad vivam Ecclesiae traditionem, et non solum in septem Conciliis oecumenicis conclusam provocantes, quae jam prius in celebrato in occidente uno saeculo prius Concilio oecumenico Tridentino toti mundo declarata est, sensum suum quoad errores Calvinianorum in sequentibus enunciarunt.

Synodus Jassinenensis Cap. IX.: Credimus neminem sine fide salvari; fidem autem appellamus rectissimam, quae in nobis est de Deo, rebusque divinis persuationem, quae quidem operans per charitatem, idest per divinorum mandatorum observationem, justificat nos per Christum, sine qua impossibile est placere Deo.

Capite XIII.; Credimus non sola fide, sed ea tantum, quae per charitatem operatur, idest fide atque operibus hominem justificari. Quod vero Christi justitiam fides instar manus apprehendat, nobisque pro adeptione salutis applicet, ab omni pietate longissime esse censemus. Enimvero omnibus esset hujusmodi fides, unde et ad salutem nemo non perveniret, quod aperte falsum est. Quin imo fidem in nobis existentem operibus nos justificare credimus.

Capite XV.: Credimus in Ecclesia esse novae legis sacramenta, eaque septem; nec minorem nec majorem in Ecclesia sacramentorum numerum admittimus: si quidem haereticorum dementiae foetus est, alias sacramentorum numerus quam septenarius. Non enim minus, quam caetera Catholicae fidei dogmata, septen-

narius iste sacramentorum in Evangelio statuitur numerus, et ex ipso colligitur.

Ac primo quidem Baptismi Sacramentum Dominus tradidit, quando dixit: Euntes, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Item et cum dixit: Qui crediderit, et baptisatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.

Confirmationis vero, sive Balsami sacri, et sancti Chrismatis cum dixit: Vos autem sedete in Civitate Hierusalem, quoad usque induamini virtute ex alto. Hoc autem Sancto superveniente Spiritu sunt induiti, cuius quidem adventum significat Confirmationis Sacramentum.

Sacramentum ordinis tradidit dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Item et cum dixit: Quaecunque ligaveritis et solveritis super terram, erunt ligata et soluta in coelis.

Incruentum autem tradidit sacrificium dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum. Et bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus novi testamenti. Item et cum dixit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis.

Sacramentum vero Matrimonii tunc tradidit, dum ait: Quod DEUS coniunxit, homo non separet. Quin et magnum a divino Apostolo sacramentum appellatur.

Poenitentiae sacramentum in quo et secreta includitur confessio, tunc tradidit, cum dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt. Item et cum dixit: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Sanctum denique oleum, sive extrema Unctio, apud

Marcum legitur, et aperto Jacobi fratri Domini testimonio comprobatur.

Idem autem Concilium Jassiene de Transsubstantiatione in Eucharistia: „Credimus sanctissimum divinae Eucharistiae sacramentum, quod ordine quartum supra recensuimus, illud ipsum esse, quoad ea nocte, qua semet ipsum pro mundi vita tradidit Dominus, nobis traditione reliquit. Panem quippe accipiens et benedicens, dedit sanctis discipulis suis et Apostolis dicens: Accipite, manducate hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias agens dixit: bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. In hujus itaque celebratione sacramenti Dominum nostrum Jesu Christum credimus esse praesentem, non quidem secundum figuram aut imaginem, neque etiam secundum quamdam, uti in ceteris sacramentis gratiae excellentiam, neque secundum simplicem quam in Baptismo commemoravere Patres nonnulli praesentiam: neque penes conjunctionem, qua proposito Eucharistiae pani Verbi Divinitas hypostatice uniatur, quemadmodum inscite juxta et misere Lutherani arbitrantur; sed vere realiterque quatenus panis et vini facta consecratione, transmutetur, transsubstantietur, convertatur, transeat panis quidem in ipsum corpus Domini verum, quod natum est Bethlehem ex semper Virgine, baptisatum in Jordane, passum, sepultum, quod resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram DEI Patris, in coeli denique nubibus adventurum; vinum vero in ipsum verum Domini sanguinem converti ac transsubstantiari, qui ex Illo pro mundi vita in cruce pendente defluxit\*). Item, facta panis et vini consecra-

\*) Ipsi ergo Gracci schismatici recognoverunt et confi-

tione, nec vini manere amplius substantiam credimus, sed ipsum corpus et sanguinem Domini; sub panis et vini speciebus, idest accidentibus. Item et ipsum distribui Domini corpus et sanguinem purissimum, inque communicantium sive piorum, sive impiorum os et stomachum introduci; nisi quod remissionem peccatorum vitamque piis ac dignis impertitur aeternam, impiis vero et indignis damnationem accersit et poenam sempiternam. Item manibus dentibusque concidi quidem Domini corpus ac dividi; verum per accidens duntaxat, sive penes accidentia panis et vini, per quae et visibilia ea esse confitemur et correctabilia: at insecta prorsus et indivisa secundum se permanere. Unde et Catholica dicit Ecclesia: conciditur et dividitur, qui concisus nequaquam dividitur, ubique manducatur, et nusquam consummitur, sed digne accedentes sanctificat. Item nequaquam sub divisione qualibet, ac minima panis et vini consecrati particula, esse partem corporis et sanguinis Domini: quippe hoc sine blasphemia et impietate nemo dixerit: sed totum ac integrum Christum secundum substantiam, animam videlicet suam et divinitatem, idest, DEUM perfectum, et perfectum hominem. Unde et multae cum per orbem eadem hora celebrantur Missae, haud quaquam Christi plures, pluraque sunt Christi corpora: sed unus in omnibus ac singulis fidelium Ecclesiarum vere ac realiter praesens et ipse Christus, unus et corpus, et sanguis unus. Atque id quidem, non quod illud quod in coelo est Domini corpus super

tentur, quod ante eos Concil. Tridentinum Sess. 13. C. 2. definit: mutationem panis et vini in Eucharistia in corpus et sanguinem Christi aptissime transsubstatationem appellari.

altaria descendat, sed quod post consecrationem converso ac transsubstantiato eo, qui singulis in Ecclesiis offertur propositionis pane, unum et id fiat et sit cum eo quod est in coelo. Quippe multis in locis non multa, sed unum est corpus Domini; ac vel hinc maxime mirabile est, diciturque hujusmodi Sacramentum, et sola fide comprehensibile, non autem humanae ratiunculis sapientiae; cuius quidem vanam, et circa res divinas coecam inquisitionem pia, atque divinitus nobis tradita professio nostra contemnit. Item et supremo colendum honore, cultuque latriae idem Domini corpus et sanguinem esse adorandum. Quippe sanctissimae Trinitatis, et corporis sanguinisque Domini una adoratio est. Item et verum atque propitiatorium esse sacrificium, quod pro fidelibus omnibus tum vivis, tum defunctis, nec non et pro utilitate omnium offertur, uti et in hujusce Sacramenti precibus exprimitur, quas pro eo, quam a Domino receperant disponendi potestate, Apostoli Ecclesiae tradidere. Item ante usum statim a consecratione, ac post usum, id quod sacris in pyxidibus communioni moribundorum asservatur, corpus esse Domini verum, et a se ipso ne vel levissime quidem diversum; quatenus ante usum post consecrationem, in usu, ac post usum verum omnino sit corpus Domini. Praeterea, verba Transsubstantiationis, modum illum, quo in corpus et sanguinem Domini panis et vinum convertuntur, perfecte explicari minime credimus, (id enim penitus impossibile, utpote soli DEO comprehensibile: unde et inscitiae juxta ac impietatis in notam incurrit, quisquis ad hujus intelligentiam Mysterii se se arbitratur pervenisse), sed panis et vini facta consecratione, non typicam, non secundum imaginem, non penes super-

abundantem gratiam, non per communionem, aut solius divinitatis unigeniti Filii DEI praesentiam; at in corpus et sanguinem Domini conversionem significari. Sed nec panis et vini accidens aliqua mutatione convertitur; sed vere, realiterque ac substantialiter fit quidem panis verum Domini corpus, vinum vero sanguis ejus, uti jam antea dictum est. Denique neminem; praeter prius Sacerdotem a pio<sup>1)</sup> utique Episcopo canonice instituto sacerdotii caractere initiatum, juxta Orientalis Ecclesiae doctrinam, hoc sacro sanctae Eucharistiae credimus confidere posse Sacramentum.

Haec est compendiaria Orientalis Ecclesiae hoc de Sacramento doctrina, veraque confessio et traditio perantiqua: qua de re vel qui apicem detraxerint, qui pie sentire cupiunt, et novitates horrent, ac inania haereticorum dogmata detestantur; sed hanc, quae jam pridem obtinuit, traditionem integrum servent et illibatam<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Observa: Dogma Catholicum esse Sacraenta novae legis valida esse et conferre gratiam ex opere operato; hinc perperam Synodus schismaticorum Jassiniensis addidit illa verba „pium et a pio“; ita enim loquitur: Denique neminem praeter prius Sacerdotem a pio utique Episcopo canonice instituto sacerdotii caractere initiatum, juxta orientalis Ecclesiae doctrinam hoc sacro sanctae Eucharistiae credimus confidere posse Sacramentum. — Dicere autem potius debuisset: „Denique neminem praeter Sacerdotem tali caractere ab Episcopo rite consecrato insignitum, hoc.... Sacramentum confidere posse.“

<sup>2)</sup> Vide Schmitt: Geschichte der neu-griechischen Kirche. Mainz, 1840. Seite 552.

### § 105. Conclusio ex praecedentibus.

Proprio ergo facto comprobavit Ecclesia Graeca Magisterium fidei in septem Conciliis oecumencicis conclusum non esse, sed perpetuum in Ecclesia requiri infallibile Magisterium, quod infallibili auctoritate enunciet semper id, quod credendum est. Si autem illud Magisterium infallibile solum et unicum oecumenicum Concilium est, cum Imperator non existat amplius, qui illud convocet, juxta sententiam Graecorum Ecclesie de hinc et inde ab ultima Synodo oecumenica juxta illos septima, Magisterio carebit. Interim, iidem Graeci, qui sibi non constant priorem sententiam modificasse videntur Orthodoxa Confessione Parte I. quaest. 72. declarantes: „Quidquid sancti Patres, in omnibus universalibus atque particularibus orthodoxis Conciliis, quoctunque tandem loco habitis, statuerunt: id a Spiritu Sancto profectum esse credas oportet.“ Ergo jam subjectum infallibilitatis Concilia etiam particularia erunt, et quidem orthodoxa. Sed nec sic se extricant Graeci; quis enim infallibili auctoritate persvadebit, hoc vel illud Concilium orthodoxum esse, orthodoxiam enim et Jacobitae, Nestoriani, et Rascolnici sibi vindicant, et Ariani Episcopi sibi vindicarunt. Ergo nec in hoc invenerunt Graeci refugium, nec invenient, nisi in Ecclesia Catholica, quae unica est et orthodoxa; quae in Petro et ejus successoribus Romanis Pontificibus plenum semper et integrum possidet, illudque infallibile Magisterium, ab ipso Christo Domino institutum, quod ante Patriarchatus Graecorum primitus exstitit, et purum Christi evangelium annunciat mundo. Quod Magisterium

petrae fidei plenum semper et integrum manet in Ecclesia Catholica, neque per secessionem aliquot, vel plurium Episcoporum diminutum aut mutilatum est, nec tunc, dum in Concilio Ariminensi complures Episcopi, quorum aliqui animo, plures haereticorum versutia decepti arianae haeresi adhaerere videbantur, unde a fautoribus arianae perfidiae Nicaenae fidei damnatio conclamata fuit, et ingemuit (ut inquit Hieronymus) totus orbis et arianum esse miratus est.

Ubi Petrus in suis successoribus semper vivens fuerit, ibi erit et Ecclesia Catholica, ibi Magisterium per Christum institutum, criterium veritatis, cui quilibet, qui Christi esse vult, se submittere obligatur. Hoc idem Magisterium, quod convertit gentes hodie quoque in quinque partibus terrae, et confessores Martyres suos hodie quoque testimonia veritatis mundo praebet, nostris quoque temporibus munere sibi divinitus credito perfunctum est, dum dogma catholicum enunciavit: Beatam Mariam semper Virginem, non modo a labे peccati actualis semper mundam, sed in ipsa sti conceptione a labe ipsius originalis peccati, speciali divina gratia eo, quod esset Mater Dei salvatoris, immunem fuisse. Quam conceptionem ipsa Ecclesia Graeca die 9-a Decembris in Synaxario ad Matutinum, conceptionem sanctam, ac proinde peccati expertem confitetur.

### § 106. Definitio Catholica oecumenici Concilii.

Ex praemissis difficile non est Concilium oecumenicum sensu Catholico definire, idest determinare notam illam characteristicam, quae soli oecumenico Concilio propria est, et qua ab omni alia congrega-

tione distinguitur. Est nempe Concilium oecumenicum congregatio Episcoporum, quae Magisterium Petro Apostolicum per Jesum Christum cum assistentia Spiritus Sancti spiritus veritatis pro omnibus temporibus institutum plene repraesentat, per Ecclesiae Primatem, vel ejus assensu convocata, ad enunciandam catholicam doctrinam, et universalem disciplinam stabilendam.

Per hanc definitionem omnes disquisitiones, in quibus canonistae ad determinandum numerum Episcoporum totam Ecclesiam repraesentantium perperam desudarunt, sublatae sunt. Dicitur autem Concilium oecumenicum congregatio Episcoporum per Principem Episcoporum seu Primatem Ecclesiae, aut cum ejus assensu convocatorum. Certe, testantibus actibus Apostolorum, Princeps eorum Petrus, eos ad consilia in eunda congregavit, iis praesedit, objectum consultationis proposuit, et conclusum firmavit atque enunciavit. Quod jus convocationis Episcoporum etiam successoribus Petri competere debet. Quod si Imperatores Christiani a saeculo IV. materialiter convocarunt Episcopos ad Concilia, cum annitu et accessu summi Pontificis, de quo eruditii amplius non ambigunt; ex inde argumentum nullum contra jus formale Concilia Episcoporum congregandi solummodo Primi Ecclesiae competens, deduci potest. Apposite hanc in rem Perone Tomo II. pag. 324. Nr. 661. observat: „Si uni Romano Pontifici onus incumbit pascendi universum dominicum gregem, ipse profecto solus vi Primatus sui, potest generalia Concilia convocare. Dum igitur historia videtur imperatoribus tribuere convocationem Conciliorum, intelligi id debet de convocatione, ut ita loquar materiali, non autem de convocatione formali

et legitima, quae nullo modo competere potest politicae potestati. Sane non desunt documenta quae ostendant priora Concilia auctoritate, svasione, consensu romanorum Pontificum fuisse ab Imperatoribus indicta. De Concilio Nicaeno I. constat ex testimonio patrum Concilii Constantinopolitadi III. anno 680. celebrati, qui nullo repugnante in acclamationibus dixerunt: Arius divisor Trinitatis et partitor insurgebat, et continuo Constantius semper Augustus, et Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nicaea Synodus congregabant. Quoad Synodum Constantinopolitanam I. testimonium perhibet generale Concilium VI. verbis: Macedonius deitatem Spiritus Sancti denegabat, sed maximus imperator Theodosius et Damasus adamas fidei illam in hac regia urbe Synodum congregabant. De Concilio Ephesino testatur liber diurnus romanorum pontificum: Sub principalis quidem memoriae Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Coelestini apostolicae sedis antistitis; item Chalcedonense jussione Leonis Magni convocatum esse a Marciano, fidem faciunt Moesiae secundae Episcopi in sua ad Leonem imperatorem epistola, qui simul rationem addunt, cur jussione Leonis Magni convocatum sit Chalcedonense Concilium? „quia Pontifex vere Caput Episcoporum est.“ Certa pariter res est ex epistolis ipsius Justiniani, Constantinopolitanum II. seu generale V. ex consensu Vigilii fuisse celebratum; quo super testimonium praebent patres Concilii VI. in sermone acclamatorio dcentes: Vigilius post haec Justiniano piissimo consonuit, et quintum Concilium constitutum est. Sic Concilium generale VI. non fuisse absque consensu romani pontificis congregatum constat ex epistolis Constantini Pogonati datis ad ponti-

ficem Donum, quibus una eum ad mittendos legatos invitavit; nec non generale VII. ex consensu Hadriani I., qui ad Tarasium patriarcham Constantinopolitanum scripsit: „Quod si non perspecta mihi esset et probe cognita erga sacras Synodicas sex constitutions, et venerandas imagines vestra sinceritas et orthodoxa fides, nequaquam ad Synodus convocandam adsentiremus.“

Dicitur porro in hac definitione Concilii oecumenici: Concilium oecumenicum esse congregationem Episcoporum, quae Magisterium Petro-Apostolicum plene reprezentet; ut autem hoc Magisterium plene reprezentetur, non a numero Episcoporum dependet, ubi enim Petrus, ibi Ecclesia, ibi Magisterium, seu major sive minor sit Episcoporum numerus, qui sunt cum Petro, idest romano Pontifice; sine Pontifice namque quotunque Episcopi etiamsi ex toto mundo congregati semper erunt acephali, nec unquam Ecclesiam constituent, si praesertim Petro repugnant. Sane videmus Concilia oecumenica, in quibus exiguis etiam fuit Episcoporum numerus, prout in Constantinopolitano I. et II. ex assensu et confirmatione romani Pontificis statim vim obligandi habuisse pro tota Ecclesia.

### **§ 107. De iis, qui ad Concilium oecumenicum convocandi sunt.**

Ad Concilium oecumenicum convocandi sunt omnes Episcopi, ideo Concilium hoc vocatur etiam generale, verum a numero comparentium, ut superiori §-o demonstratum est, oecumenicitas Concilii non dependet. Convocantur autem ad Concilium oecumenicum etiam

Principes regentes Christiani, tamquam Ecclesiae advocates, et ob nexus, qui inter Ecclesiam et civitatem pariter a Deo institutam obtinet; qui tamen nullam in doctrinalibus partem activam habent, sua solum praesentia et testimonio decus Concilii augentes. Interesse autem possunt Concilio oecumenico etiam Presbyteri, imo etiam Diaconi, imprimis Theologiae et Canonum Doctores, qui eruditione sua, et argumentis e fontibus divinae revelationis conquisitis et erutis patres Concilii adjuvant.

### **§ 108. De auctoritate Conciliorum oecumenicorum.**

Cum Concilium oecumenicum sit congregatio Episcopatus sub Primate Ecclesiae, et representat plenum collegium Apostolorum cum Principe suo Petro, quod Spiritum Sanctum spiritum veritatis a Christo recepit, qui in successores Petri et Apostolorum summum nempe Romanum Pontificem et Episcopos Pontifici conjunctos per successionem consecratione transfusus cum Ecclesia manet in aeternum, verum proinde infallibile Magisterium et regimen Ecclesiae constituit; solemnes ejus enunciationes doctrinae Christianae, quae dogmata sunt, objectivam divinam constituunt veritatem, atque omnem hominem obligant ad credendum, et non secus credendum ac profitendum, ac contrarium vel aliter credens aut docens haereticus est. Enunciationes dogmatum in antiquioribus Conciliis oecumenicis vocabantur Decreta Fidei, in Concilio autem Tridentino Canones, et etiam anathematismi, quantum contrarium vel aliter credentes vel dicentes anathemate plectuntur.

A Decretis fidei seu dogmatibus, quae exprimunt

sensum et fidem totius Episcopatus, quem Spiritus Sanctus Spiritus veritatis semper docet, per Primatem Ecclesiae solemniter enunciatam, per quam enunciationem simul pro toto genere humano cum obligamine sic credendi publicantur, differunt canones seu leges ecclesiasticae disciplinares, quibus jura et officia membrorum Ecclesiae in societate externa ecclesiastica seu visibili determinantur, ad quas condendas etiam majoritas votorum in Concilio oecumenico congregatorum Episcoporum sufficit, dummodo Primatis Ecclesiae seu Romani Pontificis accedat consensus, seu sanctio, a qua omnis vigor et auctoritas legis ecclesiasticae pro tota Ecclesia dependet. Ad hoc autem non sufficit accessus tantum legatorum, qui loco Pontificis Concilio oecumenico praesident; namque accessus legatorum pontificiorum ad conclusum Synodi oecumenicae quoad condendam legem ecclesiasticam non aliam habet significationem, quam quod tale conclusum conciliare maturum sit ut pro sanctione Pontifici seu Primi substernatur; jus namque sanciendi leges pro tota Ecclesia est Pontificis qua Primi Ecclesiae personale et inalienabile, quod pro Pontifice nemo alter exercere aut ad id delegari vel substitui potest. Hanc sanctionem pontificiam omnes Synodi, et quoad Synodos orientales ipsi etiam Imperatores Constantinopolitani a Romanis Pontificibus petierunt. Quibus ergo canonibus vel legibus ecclesiasticis etiamsi in Concilio oecumenico decretis Romani Pontifices qua supremi totius gregis Christi pastores in B. Petro Principe Apostolorum, cuius de confessione totius Ecclesiae successores sunt, divinitus constituti sanctionem denegarunt vel denegant, lex vigorosa in Ecclesia Catholica esse nequit. Sic enunciavit Nicolaus Pontifex

Epistola 7. ad Michaelem Imperatorem inquiens: „Denique in universalibus Synodis quid ratum, vel prorsus acceptum, nisi quod sedes Beati Petri probavit (ut ipsi scitis) habetur.“ — Leges autem ecclesiasticae in Conciliis oecumenicis pro universa Ecclesia legitime, prout dictum est, latae, obligant post publicationem rite et canonice factam. Fit autem publicatio legum ecclesiasticarum in Concilio oecumenico latarum per Decretum approbationis earum a summo Pontifice editum, quod quam primum innotuerit, leges promulgatae totam Ecclesiam Catholicam obligant (c. 18. C. XXV. qu. 2.); „Siquis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholicae fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.“ Fitque promulgatio Pontifica hac vel simili formula: Volumus autem, ut praesentes literae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae ac in acie campi Florae de urbe, ut moris est, publicentur, et affigantur, sicque publicatae et affixa omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arcent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent. Promulgatio etiam fit per transumpta, cuiusmodi clausula in plerisque constitutionibus Pontificiis occurrit sequentis tenoris: „Transumptis quoque (scil. literarum) quae manu alicujus publici notarii scripta subscriptaque, et sigillis ac subscriptione alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus atque decer-

nimus, ac proinde quodlibet authenticum exemplar copiae constitutionis pontificiae legalem promulgationem facit.

### § 109. De Synodis Provincialibus.

Praeter Concilia oecumenica, seu universalia, celebrata sunt etiam Concilia particularia, et quidem majora: Patriarchalia, sub praesidio Patriarchae congregatis Metropolitis, Archi-Episcopis, et etiam Episcopis; atque Nationalia, dum Archi-Episcopi et Episcopi aliquius Regionis sub Primate, seu Principe Archi-Episcopo, de objectis ecclesiasticis fidem et disciplinam attinentibus consultaturi conveniunt; qualia erant Concilia Carthaginensis Africana, et alia, quibus interdum etiam legati Pontificis intererant. Denique Concilia Provincialia, ad quae Episcopi singularis Provinciae ecclesiasticae, sub praesidio Metropolitae, aut sede Metropolitana vacante antiquioris in Provincia Episcopi congregantur. Convocantur autem a Praesidio, sicut dictum est, Metropolita, vel antiquiori Episcopo, nunquam vero a Vicario Metropolitano, aut vacante sede a Vicario capitulari Metropolitano. Quoad obligationem celebrandarum harum Synodorum provincialium, Canones Ecclesiae orientalis sequentia praescribunt: Canon XXXVII. SS. Apostolorum: „Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, et inter se examinent decreta religionis, et incidentes controversias ecclesiasticas dirimant.“ Canon V. Concilii Nicaeni I. jubet: bis in anno congregari Synodum Episcoporum, ut in superiori Instantia examinetur causa Clericorum, aut Laicorum, qui ab Episcopis excommunicati sunt, atque, ut solvant reliquas ecclesiasticas quaestiones,

Pariter Concilium Antiochenum, Canone XX. bis per annum celebrari Synodum Episcoporum praescribit, addito eo: non licere Episcopis Synodos per se facere sine iis, quibus sunt creditae Metropoles. Canon vero Concilii Trullani VIII-vus, semel tantum per annum celebrari jubet Synodum Episcoporum, a festo Pascae, usque ad complementum Mensis Octobris. Denique Concilium Tridentinum saltem omni tertio anno celebrari Synodum provincialem praescripsit. (Sess. XXIV. C. 2. de Reform.) Metropolita autem, vel senior Episcopus, qui pro rerum circumstantiis Synodum provincialem convocandi jus habet, illud, sub poena suspensionis<sup>1)</sup>, convocare debet.

Si ob justam causam convocare non possit, dispensationem a Pontifice petat<sup>2)</sup>) Locus congregationis Synodi, in regula est ille, in quo Metropolita residet, potest tamen et alter locus sedis aliquius Episcopalis pro congregatione commodior designari.

### § 110. De iis, qui ad Synodum Provincialem convocandi sunt.

Cum priori §. adducti Canones de Synodis Episcoporum agant, stricte ad Synodum provincialem singuli Provinciae ejus ecclesiasticae Episcopi vocandi sunt, qui etiam voto decisivo aequali cum Metropolita gaudent. Vocati autem Episcopi, quibus accensetur etiam Vicarius Capitularis Dioecesis Episcopo orbatae,

<sup>1)</sup> C. 7. D. 18.; C. 25. de accus., quae tamen non est latae sed ferendae sententiae juxta Const. Leon. 10. „Regimiini“, quam Conc. Trid. non immutavit.

<sup>2)</sup> Gallemart. ad Trid. XXIV. C. 2. declar. 1.

in virtute obedientiae comparere debent. Si legitime aliquis Episcoporum impeditus sit per morbum, aut aliam causam rationabilem, Procuratorem et excusationem mittere tenetur. Procuratori absentis Episcopi potest Synodus votum decisivum deferre. Siquis autem comparere obligatorum, sine justa causa non comparreat, praeter improbationem, reliqui comprovinciales Episcopi, usque ad futuram Synodum communionem cum eo abrumpunt, proprio tamen Clero et gregi communicans<sup>1)</sup>. De jure novissimo et consuetudine vocandi sunt ad Synodos provinciales etiam Praelati Nullius dicti, qui jurisdictionem episcopalem habent, atque a jurisdictione alterius exempti sunt, postquam ipsi sibi Metropolitam elegissent, et quidem cum voto decisivo. Capitula Cathedralium Ecclesiarum etiam vocari debent, comparere tamen non obligantur, nec possunt ad comparendum compelli<sup>2)</sup>. Deputati Capitulorum in Synodo praesentes vocem tantum consultativam habere possunt<sup>3)</sup>. Abbates non exempti possunt vocari, sed non debent, nec vocati comparere obligantur<sup>4)</sup>. Possunt praeterea vocari Doctores etiam Theologiae, et Canonistae, aliique Presbyteri, imo etiam Diaconi ad Concilium admitti, qui Patribus Concilii adjutorio sint, atque munia Promotorum, Secretariorum, et Notariorum, ac Consultorum obeunt. Ut vero Laici ad Synodum vocentur praescriptum nullibi est, sique aliquando in Synodis adfuerunt, tantum passivi spectatores erant, praeterquam in electione Episcopo-

<sup>1)</sup> C. 9. 10. 14. D. 18. item C. 2. D. 58.

<sup>2)</sup> Bened. XIV. 1. C. 3. 4. 1.

<sup>3)</sup> Ibid. Decret. Congr. Concil.

<sup>4)</sup> S. C. C. an. 1581.

rum, et ordinatione Clericorum, dum et illi testimonium ferebant. Laicisque nullam unquam activam partem in Synodis competuisse testimonium fert ipse Protestans Beveregius (Prooemio ad Codicem Canonum Ecclesiae primitivae N. 4.) inquiens: „Et hoc quidem, universalis scilicet Ecclesiae concessionem non ex populo, sed ex Episcopis Clericisque petendam esse, unum est e plurimis istis dogmatibus, in quae ipsam universalem Ecclesiam habemus consentientem; utpote quae de rebus ecclesiasticis dissertura plebem raro adesse, nunquam autem sententiam de istis dicere aut suffragium ferre permisit. Neque enim in omnibus, quae de istius modi rebus celebrata sunt Conciliis, quemquam e populo decretis subscrispsisse legimus. Omnia vero per singulas aetates communia Ecclesiae negotia per solos Episcopos et nonnullos subinde Presbyteros, Episcoporum suorum loca tenentes in Conciliis congregatos transacta sunt.“

### § 111. Objectum Synodorum Provincialium.

Canones superius citati celebrationem Conciliorum provincialium praescribentes designant etiam objecta in iis pertractanda, qualia sunt: decreta religionis, et controversiae ecclesiasticae; sive, quae ad vivificantam fidem et errores circa eam extirpandos, ad vigorem Canonum circa disciplinam et mores sustentandum, aut perficiendam disciplinam, ac tollendos abusus conducunt. Praeterea in quibusdam causis ad Synodum provinciale delatis eadem exercent judicium; denique e Synodo provinciali postulata ac preces Imperanti, vel Pontifici, vel utriusque substernuntur,

### § 112. Limites legislationis Synodorum provincialium.

Cum nulla congregatio particularis Episcoporum etiamsi frequentissima, sine Primate Ecclesiae seu summo Pontifice Magisterium Ecclesiae constituere possit, patet ad activitatem Synodorum provincialium non spectare dogmata fidei enunciare, bene vero enunciata ac definita Ecclesiae dogmata illustrare, et abusus intellectus humani contra corum sensum compescere. Quodsi tamen occurrat, ut in Conciliis provincialibus enunciationes doctrinae Christianae contra haereticos pronunciatae, sicut in Synodis Carthaginensibus contra Pelagium, ab Ecclesia acceptatae fuerint, id acceptationi et confirmationi S. Sedis Apostolicae adscribendum est, non vero propriae Synodi activitati. Hinc recte Thomasinus \*) „Provinciales inquit Synodi, ubi confirmatae fuerint ab apostolica sede, tunc in auctoritatis summum culmen eas recipi, nec posse ab eis circa haereseos discrimen provocari.“

2) Cum omnes Episcopi juri communi Ecclesiae subsint, patet nullam congregationem Episcoporum, ac proinde nec Concilium provinciale posse statuta condere contra jus commune, seu *a)* quae contraria essent decretis Conciliorum oecumenicorum, *b)* Constitutionibus sanctae sedis apostolicae, vel decisionibus curiae, ac regulis Cancellariae apostolicae; *c)* quae legitimae universalis consuetudini adversarentur.

---

\*) Apud Bened. XIV. de Synodo dioeces. Libr. XIII. Cap. III. Nro. 11.

### § 113. Conditiones vigoris Concilii Provincialis.

Statuta Conciliorum provincialium antiquitus Canones, hodie Decreta vocantur; ut vigorem habeant requiritur:

- 1) Ut sit legitime convocatum et celebratum; ut votati nempe fuerint omnes, qui jus conveniendi habent.
- 2) Ut qui votum consultativum habent si postulent se audiri, audiantur.
- 3) Ut decreta activitatem Concilii non excedant.
- 4) Ut decreta ante publicationem S. Sedi Apostolicae, et respective penes eam existenti congregationi particulari de revisione Synodorum provincialium substernantur, et ab hac saltem non reprobentur. Ita statuit Sixtus V. Pontifex, dictae congregacioni injungens, ut ad corrigendum siquid in Conciliis provincialibus fortasse nimis rigidum, aut rationi minus congruum deprehendatur, decreta eorum ad se mitti undecunque terrarum praecipiat, atque singula expendat et recognoscat. Non semel autem accidit, Provincialia Concilia non solum a sacra Congregatione Concilii recognosci, et si opus fuerit, emendari, verum etiam a summo Pontifice, ita potentibus Metropolitannis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas literas confirmari. Cujus rei plura exempla sunt, (vide Benedict. XIV. de Synod. Dioec. Libr. XIII. Cap. III. Nr. III. IV.) Hoc tamen non obstante, etiam in casu obtentae confirmationis S. Apostolicae sedis, vigorem habent tantum pro ea provincia ecclesiastica, cuius Episcopi ea decreta synodaliter congregati tulerunt. (Benedictus XIV. ibidem Nr. V.)

### § 114. De publicatione Decretorum Concilii provincialis.

Decreta Conciliorum provincialium publicantur nomine Metropolitae qui ea qua definiens subscripsit, et quae reliqui votum decisivum habentes qua assentientes subscribere solent, atque obligant totam provinciam ecclesiasticam donec legitime non mutentur. Mutari autem possunt:

- a) per sumnum Pontificem et Concilium oecumenicum;
- b) per posteriorem Synodum ejusdem Provinciae;
- c) per legitimam consuetudinem universalem, vel provincialem.

Secusque singularibus Episcopis non est facultas ab iis decretis dispensandi, aut contra illa privilegia conferendi.

### § 115. De Synodis Dioecesanis.

Canones orientalis Ecclesiae, Synodos sic dictas dioecesanis, seu congregations Cleri dioecesani sub praesidio sui Episcopi ad consulendum et statuendum de negotiis ecclesiasticis, ignorant; cum ii solum de Synodis Episcoporum cum Metropolita, vel cum Patriarcha, aut Primate alicujus Regionis praescrabant. Ideo etiam Synodi dioecesanae in Ecclesia orientali de Canone in usu non sunt. Quod autem in Transylvania celebratae fuerint Synodi dioecesanae, id, ex decreto Georgii Rákóczi Calvinistae repetendum est, puncto II. praescribentis: Quod singulis annis universis Episcopo (tunc schismatico) subjectis pastoribus Epi-

scopus generalem indicet Synodum, ubi, si in negotio, religionis quidpiam arduum occurreret, consultet etiam Episcopum Calvinianum, et consensum ejus ratum et acceptum habebit. (Major Hist. eccl. p. 95.) Quoad Synodos ergo dioecesanis ad quas celebrandas Graeco-Catholici per sacram unionem jus Canonicum acquisiverunt, recurrendum est ad subsidiarium pro Graecis juris fontem in defectu proprii fontis, Ecclesiae nempe Latinae, in qua Synodi dioecesanae admodum frequentes erant, et nostris quoque temporibus celebrantur. Imo Benedictus XIV. Pontifex celebre opus ipse conscripsit de Synodo dioecesana, ad illorum retundendam audaciam, qui non veriti sunt scribere: Dioecesanis Synodos esse prorsus inutiles: in qua tamen Synodo Presbyteris votum tantum consultativum competit, non vero decisivum, quod solius Episcopi dioecesani proprium est. Quam in rem Pius VI. in Bulla Auctorem fidei § 10. sanxit: Doctrina, qua Parochi, aliqui Sacerdotes in Synodo congregati pronunciantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur, judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto falsa, temeraria ordinis hierarchici subversiva.“ Et eadem Bulla §. 9.: „Doctrina, quae statuit, reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et Parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum — falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Aeriana a Calvino innovatae.“ Profecto, Presbyteri, quibus juxta Canonem XXXIX. Apostolorum absque voluntate Episcopi nihil agere licet, ipsius

enim fidei populus Domini commissus est, et pro eorum animabus ab ipso repetetur ratio (unde patet Episcopum independenter a Clero dioecesim regere), ex eo, quod in Synodo dioecesana congregentur, non majorem habent potestatem, quam habent extra Synodum. Cum ergo extra Synodum auctoritate legesferendi careant, nisi fors eam a Papa, vel Episcopo obtineant, illas nec in Synodo propria auctoritate ferre possunt. Ideo Benedictus XIV. (de Synod. dioec. L. III. C. 12. N. 7. conf. L. XIII. C. 1. N. 2.) inquit: „In Synodo dioecesana solus Episcopus est iudex et legislator, ipse suo nomine decreta facit et promulgat, et quamvis astantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi.“

### § 116. De Convocatione Synodi Dioecesanae.

Synodus dioecesana, cui non competit titulus „sacra Synodus“, qui tantum Episcoporum Concilio proprius est, et cuius conclusa non Canones, nec decreta, sed solum statuta sunt<sup>1)</sup>, per Benedictum XIV. (de Synod. dioec. T. 1. pag. 4.) definitur: Legitima congregatio ab Episcopo coacta ex Presbyteris et Clericis suae dioecesis, aliisque, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastorali incumbunt agendum et deliberandum est. Obligationem Episcopi convocandi Synodum dioecesanam exprimit Concil. Trid.<sup>2)</sup> verbis: Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, nisi rationabilis causa excuset.“ Episcopi Synodum dioecesanam celebrare

<sup>1)</sup> Vide Porubszky pag. 154.

<sup>2)</sup> Sessione XXIV. C. 2. de reform.

negligentes possunt etiam ab officio suspendi<sup>3)</sup>). Episcopus jus convocandi Synodum dioecesanam acquirit per praemonitionem, quamprimum Bullas confirmationis, vel saltem breve Apostolicum de capienda possessione, iis, quibus de jure competit, exhibuerit<sup>4)</sup>. Convocanda autem est ad locum residentiae Episcopi, quamvis possit convocari ad quemcunque dioecesis locum<sup>5)</sup>. Ex speciali Episcopi mandato jure convocat Synodum etiam Vicarius generalis Episcopi<sup>6)</sup>. Sede autem Episcopi vacante Vicarius generalis capitularis attamen post annum tantum, a conclusa priori Synodo dioecesana<sup>7)</sup> sine speciali mandato.

### § 117. De Convocandis ad Synodum dioecesanam.

Ad Synodum dioecesanam vocandus est Clerus dioecesis, prout definitio praemissa Synodi dioecesanae indicat, et quidem Vicarius generalis episcopalis<sup>8)</sup>, et Vicarii Foranei, quibus adnumerantur Archi-Diaconi, Protopresbyteri rurales. „Affirmamus, inquit Benedictus XIV.<sup>9)</sup> oportere, ut Episcopus omnes suos Vicarios Foraneos ad Synodum vocet, quoniam ab istis tamquam oculatis testibus, melius, quam a Vicario generali, certior fieri potest de iis, quae in remotis dioecesis partibus occurrunt, et aliquam saltem syno-

<sup>1)</sup> Libr. 5: Gregorii IX. Tit. 1. de accusationibus C. 25. ex Concil. Later. IV. et Benedict. XIV. L. I. C. VI. Nr. 5.

<sup>2)</sup> Idem L. II. C. V. Nr. 6.

<sup>3)</sup> Idem L. I. C. V. Nr. 2.

<sup>4)</sup> Idem L. II. C. VIII. Nr. 4.

<sup>5)</sup> Idem L. II. C. IX. Nr. 6.

<sup>6)</sup> Bened. XIV. L. III. C. III. Nr. 2.

<sup>7)</sup> Ibid. L. III. C. III. Nr. 10.

dalem sanctionem exposcunt.“ Item Canonici Ecclesiarum Cathedralis, et collegiatarum, qui saltem per deputatos, si autem Episcopus velit, omnes ad Synodum comparere tenentur<sup>1)</sup>). Praeterea Parochi, „Dioecesanas Synodos inquit Benedictus XIV<sup>2)</sup> a prima earum origine potissimum ex Parochis fuisse conflatas, et ratio svadet, et antiquissimi Ecclesiae Canones nos edocent. Illis quippe, quae eo semper collimarent ut animarum salutem promoverent, eos maxime interesse oportuit, quibus aliqua Dominici gregis portio tradita erat custodienda.“ Et Concilium Tridentinum<sup>3)</sup> praescripsit: „Ratione tamen Parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.“ Sed et reliquus Clerus non curatus, si Episcopus jubeat, Synodo interesse tenetur, si in Synodo de iis agatur, quae omnes Clericos concernunt. Sedent autem praecedente Capitulo, et Dignitariis, in Synodo, juxta tempus ordinationis. Qui ad Synodum vocati absque rationabili causa non comparent, ab Episcopo non modo censuris ecclesiasticis, sed etiam mulcta pecuniaria plecti possunt<sup>4)</sup>. Sunt autem causae rationabiles, ob quas a compiendo excusantur, impossibilitas aut gravis difficultas accessus, utpote ob exundationem aquarum, ob insecuritatem viarum, dein infirmitas, imprimis vero salus spiritualis fidelium, quae ob absentiam Parochi in defectu supplentis pericitaretur. Qui vel tarde ad Sy-

<sup>1)</sup> Bened. XIV. L. III. C. IV. a Nr. 1—6.

<sup>2)</sup> Idem eodem L. C. V. Nr. 1. et 2.

<sup>3)</sup> Sess. 24. C. 2. de reform.

<sup>4)</sup> Bened. XIV. L. III. C. XII.

nodium comparent, vel ante solutionem Synodi descendunt, ita puniuntur sicut qui non comparent.

### § 118. De Objectis ad Synodum dioecesanam spectantibus.

Ad sphæram Synodi dioecesanae spectat: a) Decreta postremi Concilii provincialis auctoritate s. sedis apostolicae corroborata, et constitutiones pontificias promulgare et iis effectum procurare. Pius VI. in Bulla dogmatica „Auctorem fidei“ inquit: „Sententia enuncians: veteri Majorum instituto ab apostolicis usque temporibus deducto, per meliora Ecclesiae saectula servato, receptum fuisse, ut decreta aut definitiones aut sententiae etiam majorum Sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecesana falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim. b) Consilia inire et statuere de optimo modo sacrae religiosae institutionis populi et parvulorum, de promotione cultus divini, de digna administratione et participatione sacramentorum, ac disciplinae ecclesiasticae instaurazione. c) Quae ad promovendum dioecesis bonum conducunt, quo spectant etiam fundi dioecesani, eorum erectio, aut erectorum jam, incrementum. d) Causae Clericorum et Laicorum, si eas summarie pertractari cuperent, per judices causarum finire; quae tamèn hodie, constitutis stabilibus tribunalibus, in Synodis non pertractantur. e) Designare admininus quatuor Judices Synodales, quibus Pontifex causarum ad forum ecclesiasticum spectantium ad se

delatarum cognitionem, praeter Ordinarium committere valeat. Sufficit si Episcopus in iis designandis consilium Synodi exposcat<sup>1)</sup>, de quibus Pontifici referendum est. f) Eligere examinatores Synodales<sup>2)</sup>.

### § 119. Limites legislationis Episcopalis in Synodo dioecesana.<sup>3)</sup>

Etiam si Episcopus consuetudines irrationabiles populi, atque minus salutaria statuta sui Antecessoris absque haesitatione tollere possit; caveat tamen a) ne praecipitanter agat, neve e nimio studio pristinae disciplinae revehendae abroget etiam justa Antecessoris sui statuta<sup>4)</sup>; b) ne introducere velit canones vel mores nunquam receptos, vel feliciter abolitos, neve resuscitet legum antiquarum rigorem, si hic posterioribus legibus est mitigatus; c) ne promulgantur constitutiones prohibentes abusus, qui in Dioecesi non occurunt; d) non sunt in Synodo decidendae controversiae theologicae nondum definitae, praecipue respicientes sacramenta; vel juridicae, respicientes relationem inter potestatem ecclesiasticam et civilem; e) nil statuendum, quod auctoritati et juribus Sedis Apostolicae, juri communii, bonis moribus, constitutionibus Pontificum, privilegiis Regularium, consuetudini universalii, vel Decretis Synodi provincialis adversatur; f) nulla consuetudo SS. Canonibus, vel constitutionibus apostolicis contraria etiam si rationabilis et diurna

<sup>1)</sup> Vide Porubszky pag. 449. Const. Benedict. XIV.: Quamvis paternae.

<sup>2)</sup> De his uberioris in Parte II. de examine concursuali.

<sup>3)</sup> Vide Porubszky pag. 449.

<sup>4)</sup> C. 19. C. 25. q. 2.

sit, in Synodo dioecesana confirmando, priusquam sedis Apostolicae sensus exquiratur et innotescat; g) nil prohibendum quod jus commune permittit; h) poena pecuniaria, et praecipue excommunicationis statutis Synodi dioecesanae rarissime apponenda.

### § 120. Modus, quo statuta Synodi dioecesanae feruntur.

Praemittuntur congregations, quae plerumque habentur in episcopali palatio, in quibus discutiuntur in Synodo decernenda. Episcopus quoad ea, quae statuenda sunt, prius capituli consilium requirere tenetur, quamvis illud sequi non obligetur, praeterquam in casibus jure expressis. Sique Episcopus inconsulto Capitulo novas constitutiones in Synodo ederet, illae, utpote a norma jure praescripta deficiente, firmitate carerent; quamquam si justae et rationabiles essent, a sacra Concil. Congreg. Romana convalidari possent. Expedit etiam, ut Episcopus sciscitur a Decanis, Parochis, Theologis et Canonistis peritis, quae statuenda, corrigenda, et abusus quomodo tollendi? Constitutiones Synodi dioecesanae de jure subscribit nisi Episcopus, possunt tamen subscribere et alii: promulgantur solenniter in celebrandis in templo sessionibus, et mox publicari possunt, quin debeant pro revisione et approbatione ad potestatem civilem vel s. Concilii Congregationem mitti. Forma promulgationis arbitrio Episcopi est relicta. Statutis Synodi dioecesanae obedire obligantur omnes dioecesani, et quidem quamprimum ea eis innotuerint, vel a tempore defixo. Jus in eis dispensandi est penes solum Episcopum. Si a decretis Synodi, tamquam nimis severis, aut quomodounque illegalibus fiat appellatio

ad superiorem, nempe Metropolitam, vel Pontificem, ea non habet effectum suspensivum, sed tantum devolutivum. Episcopi in visitatione attendent; an Clerus statuta dioecesana legat, et una cum populo observet. (Porubszky pag. 450.)

### § 121. De Officialibus seu Ministris Synodi.\*)

Ante Synodum destinare debet Episcopus Praefectum hospitorum, cum sociis. Ad eos spectat omnem adhibere diligentiam, ut Clerici ad Synodum venientes, honestis excipientur hospitiis. II) In congregazione prima eliguntur duo Promotores, unus urbanus, foraneus alter, quorum munus est urgere actiones Synodales, seu insistere, ut omnia quae in Synodo facienda sunt, celeriter, et fructuose perficiantur. III) Elegitur Synodi Secretarius, quem unum e Canonicis Ecclesiae Cathedralis esse convenit, isque alium, quem maluerit, sibi socium, seu coadjutorem, adsciscet, qui etiam Lector appellatur, eo quod ei onus incumbat alta voce legendi Synodi decreta. Ad Secretarium autem spectat primo, curare, ut pridie quam Synodus inchoetur, futurae sessionis Edictum affigatur valvis Ecclesiae: secundo, ante primam sessionem nominatim ut moris est, vocare Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et insigniorum collegiarum; et ne nimium defatigetur, potest committere suo coadjutori, ut ceteros de Clero vocet; tertio, praeparare schedulas pro scrutinio. Post hunc autem IV) Deputatur Notarius Synodi, qui est Episcopi Cancellarius. Hic absentes

\*) Ex opere Benedicti XIV. de Synod. dioec. Lib. IV. Cap. I. a Nr. 1—8.

notat, ut, nisi postea a Judicibus excusentur, puniantur; singulorum, qui fidei professionem emittunt, nomina scribit; atque in fine cujuslibet sessionis, rogatus a Promotore, ut de iis, quae gesta sunt, instrumentum conficiat, respondet se facturum, simulque aliquos de Clero vocat in testes, quorum nomina in tabulas refert. V) Designantur Praefecti synodalis disciplinae, et scrutinii, hoc est aliquot Sacerdotes maturae aetatis, prudentia et pietate conspicui, quorum officium sit, omnes Clericos singillatim ad se arcescere, ac cujuslibet mores et vivendi rationem investigare; utque facilius huic muneri faciant satis, solet unicuique Praefecto certa pars Cleri, in schedula descripta, committi examinanda, aliaque schedula tradi, in qua quaedam adnotantur, de quibus Episcopus vult specialius inquire. Absoluto autem scrutinio, omnia ad Episcopum referuntur, ac quilibet ex Praefectis, peracti a se scrutinii acta, propria manu subscripta, Episcopo tradit. VI) Ad evitandas turbas, et praecavendos tumultus, qui certe fierent, si singulis de Clero venia daretur reclamandi adversus decreta, quae in Synodo promulgantur, solet Episcopus aliquem constituere totius Cleri Procuratorem, qui omnium nomine ea tamen qua decet modestia, ac reverentia, dicat in Synodo, quae Clero displicant, quaeve ex iis quae aut statuta aut statuenda sunt, difficiliora aut aspera videantur; simulque modum suggerat, quo illa emolliri, Clerus optaret: omnia porro, quae nomine Cleri petierit scripta tradat Synodi Secretario. VII) Confessarii Synodales, cum plena facultate absolvendi etiam in casibus sive Episcopo sive etiam Pontifici reservatis a quibus absolvendi facultas delegata est Episcopo, excepta irregularitate

quae oritur e homicidio voluntario, item haeresi extrema, quantumvis occulta, a qua dispensandi facultas per Bullam „In coena Domini“ Episcopis est adempta. VIII) Concionatores synodales, nisi Episcopus ipse velit hoc munere fungi quod omnino praestat. IX) Magistri caeremoniarum, ut omnia quae in Synodo fiunt, debito ritu, cultu, et majestate peragantur. Necesarii quoque reputantur ostiarii, qui praesint Ecclesiae januis, et laicis, sine strepitu ingressum prohibeant, et quum incipienda est Synodus, Ecclesiae fores obserant. Ejusmodi ostiarios oportet esse viros graves, quia ad ipsos spectat, sessionum tempore, Clericos quos forte videant Ecclesiam pervagantes, aut secum invicem colloquentes admonere. IX) Oeconomus Episcopalis, cuius est exigere cathedralicum ubi in usu est, denique:

### § 122. Judices querelarum et excusationum.

Inter caeteras Episcopalis muneris curas inquit Benedictus XIV. (Lib. IV. C. 2): ab Ecclesiae incunabulis, una, et non infima fuit clericorum, laicorumque jurgia audire, et componere, subortasque inter eos lites, sine forensi strepitu dirimere. Quo vero sanctiora Episcorum judicia forent, in Ecclesiis et Synodis, adstante Sacerdotum senatu, plerumque exercebantur, sicque Synodi dioecesanae speciem quamdam Tribunalis ecclesiastici praeferebant. Ex qua antiqua Ecclesiae disciplina ortum habuit, ut Episcopus in Synodo duos, vel tres, una cum suo Vicario generali, deputet Judices, qui criminales querelas excipiant, civiles lites audiant, ac sumario judicio de utrisque causis sententiam proferant. Ad eosdem Judices per-

tinet, quaestiones circa ordinem sedendi vel preecedendi inter congregatos forte excitatas, brevi manu, (ut dici solet) ita componere, ut nulli preejudicium inferatur; ad eos pariter deferendae sunt excusationes eorum, qui ad Synodum non accesserunt, finita Synodo dein examinandae. Licet autem hodie primum, et potissimum munus praedictorum Judicium fere conquietat, quia fere impossibile est, ut Clericorum, aut Laicorum causae terminentur; adeo enim mutati sunt hominum mores, ut contendentes inter se partes summarium judicium effugiant, non idcirco tamen eorumdem Judicium electio superflua est censenda; tum quia jus habet si quis vult litis sumptibus parcere, suasque causas celeriter expedire, Judices Synodales adeundi, eorumque judicio adquiescendi: tum quia necessarii reputantur ad servandam antiquae disciplinae memoriam, atque ad praedicta duo explenda munia, quoad prioritatem nempe sedis, et in causis non comparitionis ad Synodum.

### § 123. De fidei professione in Synodo dioecesana elicienda.

Semper in Ecclesia, inquit Benedictus XIV. (de Synod. dioec. L. V. Cap. II. Nr. 3.) ea disciplina viguit, ut Patres ad sacra Concilia coeuntes, se Catholicam fidem profiteri, et preecedentia oecumenica Concilia recipere ac admittere publice contestarentur. Ita preecertim in Concilio Calcedonensi atque aliis deinceps Conciliis Nicaena, ac Constantinopolitana fidei formula recitata. Etiam in Conciliis provincialibus ac Synodis dioecesanis professio Catholicae fidei non tantum praxi et continua consuetudine, verum etiam positivo

Ecclesiae decreto<sup>1)</sup> praescripta est; atque etiamsi Episcopi in Synodo provinciali fidei professionem eliciendam habeant, attamen maxime decet, inquit Benedictus XIV.<sup>2)</sup>, ut in hoc religionis actu praestando, etiam in sua dioecesana Synodo, ceteris exemplo praeat, et fidem Catholicam, sub consveta formula, coram adstantium sacerdotum coetu, palam profiteatur.

### § 124. De utilitate Synodorum.

De utilitate Conciliorum in genere jam S. Leo Magnus Epist. 16. C. 7. inquiebat: „Adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum id semper in communi tractandum sit, ut omnia Canonum decreta, apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant.“ Item Epist. 6. C. 5.: „Melius omnis culpa vitabitur, si inter Sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur, et emendationi pariter et caritati plurimum praestat adunata societas.“ Ipse etiam Benedictus XIV. Pontifex (de Synod. dioec. L. 1. Cap. 2.) utilitatem Synodorum fusius demonstrat, addit tamen Nr. V.: „Non idcirco tamen illis assentimur, qui Synodos absolute necessarias affirmant; quemadmodum enim Concilia generalia, quamvis summopere utilia, non sunt tamen absolute, et simpliciter necessaria pro Ecclesiae universalis regimine, ita Episcopales Synodi, etsi maxime fructuosae, non tamen absolute necessariae dicendae sunt pro recta dioecesum administratione, cum et alii suppetant modi assequendi eundem finem ad quem Synodi tendunt.“ Certe, ex quo me-

<sup>1)</sup> Concil. Trid. Sess. 25. de reform. C. 2.

<sup>2)</sup> Lib. V. C. II. Nr. 4.

lior ecclesiastici regiminis ordinatio invaluit praecipue in rebus jurisdictionem respicientibus, minor est Synodorum celebrandarum necessitas, ac ideo rarius quam prioribus Ecclesiae temporibus celebrantur, quorum celebrationi obstat ille spiritus constitutionalis nostris hisce temporibus praevalens, qui facile ejusmodi conventibus abutitur, ut inducantur et praevaleant quoad Ecclesiae regimen principia, quae veris Catholicae Ecclesiae principiis adversantur.

## CAPUT VI.

### DE JURIBUS EPISCOPORUM SINGULARIUM DIOECESIUM RECTORUM.

### § 125. De jure Episcoporum regiminis dioecesani in genere.

Quamvis per consecrationem Episcopi fiant quidem membra Episcopatus, seu corporis illius, cui Christus concredidit sub directione Primatis regimen Ecclesiae suae, ac proinde acquirant jus participandi regimi Ecclesiae universalis, jus tamen tale, quod exercere nequeunt nisi una cum summo Pontifice et aliis Episcopis in Concilio generali: in hoc tamen jure non includitur etiam jus regendi partem determinatam ejusdem Ecclesiae, idest peculiarem dioecesim. Quemadmodum namque, divisio dioecesum pendet ab actu jurisdictionis et est juris positivi et humani; ita etiam jurisdictione in determinatam dioecesim provenit ex actu jurisdictionis illius, qui potestatem habet in universalem Ecclesiam, videlicet Romani Pontificis; sive immediate hunc actum Pontifex exerceat, sive mediate,

idest, quando jurisdictione in peculiarem quamdam dioecesim conferitur Episcopo quovis alio modo determinato per jus positivum, quod consentiente summo Pontifice viget in Ecclesia. Ergo Episcopus obtinet jus regiminis dioecesani per legitimam assignationem gregis dioecesani ipsi per universalem totius gregis Domini pastorem factam. Sunt autem jura Episcoporum: Jura ordinis, Jura status, et Jura jurisdictionis.

### § 126. Jura Ordinis Episcopalis.

Ad jura ordinis episcopalis praeter ea, quae Episcopi cum Presbyteris communia habent, propria spectant 1) Collatio ordinum sacrorum. 2) Jus sacrum chrisma conficiendi, et chrismate consecrandi sive personas, sive res, utpote Ecclesias, altaria, vasa sacra etcet. Euchologia Ecclesiae orientalis ordini Episcopatus consecrationem, Presbyteratui vero solam benedictionem adscribunt. Exceptionem facere videtur sola unctione chrismate, quam orientales Presbyteri etiam in collatione Sacramenti Confirmationis peragunt, et quidem ex consuetudine perantiqua, non tamen sine concessione Episcopi, ac saltem tacita delegatione Apostolicae sedis; cum etiam secundum Graecorum sententiam Sacramenti Confirmationis ordinarius Minister solus Episcopus sit: cuius testimonium adfert Codex Canonum Graecus Pidalion, Nota 1. ad Canonom VI. Concilii Carthaginensis his verbis: „Gabriel Philadelphenus in libro de Sacramentis dicit, quod etiam unctione chrismati in Sacramento Confirmationis ad solos Episcopos spectet, concessa tamen est etiam Presbyteris, ut non maneat quis ex iis, qui baptisati sunt sine obsignatione (confirmatione).“ Quod ipsum

enunciavit et Synodus Ruthenorum celebrata Zamosciae anno 1720., in qua haec leguntur: „Sacramentum Confirmationis a Christo Domino institutum, quod Parochi in orientali Ecclesia extraordinario jure, et delegata ab Episcopo facultate, ex apostolicae sedis dispensatione, statim post Baptismum administrare solent.“ Graeci autem Maronitae in sua Synodo in monte Libano 1736. Cap. 4. de Sacramento Confirmationis Can. II. statuerunt: „Quia vero tam in nostra quam in reliquis orientalibus Ecclesiis antiquus mos obtinuerat, ut statim post Baptismum etiam Sacramentum Confirmationis conferretur, quemadmodum et in ritualibus continetur, et a Concilio Laodiceno his verbis praescribitur: Quod oportet eos, qui illuminantur post Baptismum ungi supercoelesti chrismate et esse regni Christi participes. Hac tamen in re servandum praecipimus ac mandamus, quod dudum a Reverendissimis Dominis Patriarchis injunctum est, ne simplices Sacerdotes de caetero praesummant hoc Sacramentum administrare; sed illud Episcopi dunt taxat conferant.“ Clemens autem VI. priusquam ad catholicam communionem reciperet consolatorem Armenorum Patriarcham, certior fieri voluit, an cum Ecclesia Romana sentiret, etiam relate ad Sacramentum Confirmationis, in apostolicis literis ad eundem datis, quae habentur apud Raynaldum ad annum 1351. Nrum. 12. nimirum: Primo, de Consecratione chrismati, si credis quod per nullum Sacerdotem, qui non est Episcopus, potest chrisma rite, et debite consecrari. Secundo. si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium quam per Episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari. Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem plenitudinem pote-

statis habentem possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi committi. Quarto, si credis, quod chrismati per quoscunque Sacerdotes, qui non sunt Episcopi, neque a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per Episcopum, vel Episcopos sint chrismandi.“ Cum igitur Romani Pontifices tolerent, imo per confirmationem Decreti Synodi Zamoscensis etiam porro admiserint consuetudinem Ecclesiae orientalis, ut Sacramentum Confirmationis per Presbyteros conferatur; imo etiam in Florentina Synodo a Latinis Patribus Graecorum Presbyterorum confirmatio rata existimata fuit; de delegatione S. Sedis Apostolicae Presbyteris Graeci Ritus ad valide conferendum Sacramentum confirmationis cum chrismate per Episcopum solum confici et consecrari solito, data, dubitare non licet.

### § 127. Jura status Episcoporum.

Jura status, sive dignitatis Episcoporum sunt:  
 1) Praeeminentia ante Presbyteros, quos S. Hieronymus secundi ordinis praeceptrores, et minoris gradus ab Apostolis vocat\*) et S. Ignatius Martyr in Epistola ad Antiochenses scribit: Presbyteri pascite gregem, qui inter vos est, donec DEUS designaverit eum (Episcopum), qui Principatum in vobis habiturus est, ego enim jam immolor.“ 2) Tituli honorifici. 3) Thronus et indumenta pontificalia, utpote Omophorion,

\*) Ad Fabiolam de 42. Mansion. Confer. Petavius de Hierarch. et Natalis Alex. Histor. Eccl. Diss. XLIV: ad Sec. IV.

Mitra, Baculus pastoralis, crux pectoralis, et cor, quod anuli loco Episcopis orientibus inservit; ideo Episcopi orientales anulum non gestant.

### § 128. Jura Jurisdictionis.

Jurisdictionis episcopalis extenditur ad omnes personas, res, et loca ecclesiastica dioecesis, in quantum non sunt exempta, atque haec jurisdictionis potestatem legislatoriam, inspectoriam, judicativam, et coactivam complectitur; hinc Episcopi habent ius 1) pro Dioecesi leges condendi secundum et praeter jus commune, non vero eidem juri communi contrarias. (Vide supra de Synod. dioec.; Limites legislationis episcopalis.) quae praescriptiones episcopales, vel statuta dioecesana vocantur; 2) jus dispensandi in Synodorum tum particularium tum etiam universalium et Pontificum decretis, obtenta tamen facultate et intra terminos facultatis a summo Pontifice concessae, cui soli competit jus dispensandi in universalibus, Ecclesiae legibus, 3) jus docendi, Canon XIX. Concilii Trullani, observante Balsamone ad hunc Canonem: „Populum docere solis Episcopis datum est, et magnae Ecclesiae doctores, Patriarchae jure docent“, et Christus dixit Apostolis: Euntes, docete omnes gentes, statuit: oportet eos, qui praesunt Ecclesiis in omnibus quidem diebus, sed praincipue dominicis, omnem Clerum et populum docere pietatis et rectae Religionis eloquia.“ Attamen Episcopi, quibus solis competit jus docendi auctoritative, quo sensu verba Balsamonis summenda sunt, possunt etiam aliis clericis concedere missionem ad docendum. 4) Causas ad forum ecclesiasticum pertinentes decidendi. 5) Dioecesim visitandi, quod est

optimum medium ad cognitionem status dioecesis, observantiae Canonum, et disciplinae ecclesiasticae pervenienti, atque occurrentes errores et abusus tollendi. Episcopus per Edictum visitationis canonicae, quemlibet suaे jurisdictioni obnoxium officialem, et Sacerdotem coram se qua jūdice citat, atque a sententia per Episcopum in canonica visitatione lata nulla datur appellata executionem impediens. Non potest tamen Episcopus in visitatione imponere poenas ordinarias delictorum, sed tantum extraordinarias, quae magis morum emendationem et correctionem, quam ordinariam delicti vindictam respiciant<sup>1)</sup>. 6) Poenas ecclesiasticas infligendi, cum discretione tamen<sup>2)</sup>. Quam in rem Balsamon ad citatum Canonem Concilii Trullani advertit: „In aliis quoque Conciliis statutum est, ut qui est loci Episcopus, qui a Sancti Spiritus gratia accepit potestatem ligandi et solvendi, non ea omnia, idest, rigide observet, quae de poenis a sacris Canonibus statuta sunt, sed eas modificet habita ratione personarum quibus infliguntur, earum scilicet aetatum, affectionum, vitae studiorum et qualitatis peccati, et sic unicuique morbo adferat convenientem medelam, ut errantem ovem reducat, et ei quae est a serpente (diabolo) vulnerata medeatur, et neque per desperationis praecipitia impellat, nec ad vitae dissolutionem et contemptum fraena laxet. 7) Largiendi Indulgentias particulares. 8) Pastores inferiores constituendi, beneficia conferendi, aut praesentatos per Patronos approbandi et canonice instituendi. 9) Jus

<sup>1)</sup> Conc. Trident. Cap. I. de Reform. Sessione XIII. et Sessionis XXIV. Cap. X.

<sup>2)</sup> Confer. Concilii Trullani Canon. 102. et Concilii Trident. Sess. XIII. Cap. I. de Reform.

administrationi bonorum et fundationum ecclesiasticarum inspiciendi<sup>1)</sup>. 10) Jus congregandi Synodos Dioecesanas ad tramites sacrorum Canonum.

### § 129. De Senatu Episcopi.

Quemadmodum summus Pontifex in gubernio universalis Ecclesiae assistentem sibi habet Senatum ex Presbyterio condam urbis Romae formatum Cardinalem collegium, vel consistorium, ita Episcopo in regenda Dioecesi suus assistit Senatus Ecclesiae Cathedralis Capitulum, de quo ait Van Espen<sup>2)</sup>: „Licet praecipua in Ecclesia auctoritas ad Episcopos pertineat, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam DEI; ea tamen semper a temporibus apostolorum fuit Ecclesiae disciplina; ut non dedignarentur Episcopi Presbyteros aliasque inferiores Ministros sibi adsciscere, quorum opera et consilio navem Petri in hoc periculo et turbulentu mari dirigerent. Hi in ipsis Ecclesiae exordiis erant universi Presbyteri, atque Diaconi, qui una cum Episcopo in civitate commorantes, Presbyterium, atque Senatum Ecclesiae constituer dicebantur; quos vir Apostolicus S. Ignatius Epistola ad Trallianos Consistorium sacrum, consiliares Assessores Episcopi vocat; de quibus et Hieronymus: „Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum coetum Presbyterorum.“ His inconsulis majora Ecclesiae negotia non resolvere a primordio Episcopatus sui S. Cyprianus statuerat Epistola 5: „Ad id quod scripserunt Compresbyteri nostri, solus rescribere nihil

<sup>1)</sup> Vid. Canon Apostolorum 37, Concil. Antioch. C. 25. Concilii Gangrensis C. 2. Concil. Chalcedon. Can. 20.

<sup>2)</sup> Tomo II. operum pag. 590. Cap. II.

potui, cum a primordio Episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro mea privatim sententia gerere.“ Molem Episcopalis sollicitudinis sibi incumbere mortuo Fabiano Romano Pontifice, ad Cyprianum scribit Clerus Romanus: „Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiae, cujus per varias quasque Provincias membra digesta sunt, excubare.“ Hoc Presbyterium Clerum componebat, sine cuius consilio Clericos ordinare interdixit Episcopis Synodus Carthaginensis IV. statuens insuper: Ut Episcopus nullius causam audiat absque praesentia Clericorum suorum, alioquin, inquit, irrita erit sententia Episcoporum, nisi Clericorum praesentia confirmetur.

Talis primis Ecclesiae seculis erat Episcopi senatus, donec crescente Presbyterorum, atque inferiorum Clericorum ordine, e pluribus nonnullos elegerint Episcopi, qui sibi tamquam Consiliarii et Assessores assisterent; quos Canonicos Cathedrales, tamquam Cathedrae episcopali proprius adhaerentes posterior aetas nuncupavit. Hi in pristinum Presbyterorum et Diaconorum Presbyterium atque Senatum successerunt; quo fit, ut quemadmodum olim Presbyteri, et Diaconi civitatis episcopalibus unum cum Episcopo tamquam capite corpus constituerint, Fratresque Episcopi dicentur; ita Canonici Cathedrales in locum ipsorum suffecti, unum cum Episcopo corpus componere dicantur; et ut Episcopi ipsos tamquam Fratres agnoscant, canonica decrevit auctoritas.

### § 130. De dotibus Canonicorum.

Ex ec, quod Canonici Senatum Episcopi in regimine dioecesis constituant, Canonici debent esse

viri e Clero selectissimi, doctrina non minus quam sanctae vitae studio praecellentes, viri graves, et probatae experientiae, qui possint et velint Episcopo maturis consiliis adesse. Et siquidem praecipuum munus Episcoporum sit errores extirpare, veritatem evangelicam propugnare, vitia eradicare, virtutes plantare, nec non disciplinam Ecclesiae, Conciliorum ac Patrum decretis expressam, vigentem, sedulo conservare, collabentem sustinere, collapsam diligent cura restaurare; quin et controversias inter fideles subortas nonnunquam decidendo sopire, necessarium est, ut inter Canonicos sint, qui ea scientia polleant, qua Episcopus in eliminandis haeresibus, aliisque perniciosis in doctrina erroribus; vitiis extirpandis, atque virtutibus plantandis opera et consilio molem Episcopalis sollicitudinis sublevare, quin et portionem ejusdem non modicam valeant sustinere. Quo munere fructuose fungentur Theologi, qui divinam sapientiam ex purissimo scripturarum, et SS. Patrum fonte abundantanter hauserint; in ecclesiasticae vero disciplinae conservanda puritate, collabente stabilienda, consiliis suis utiliter assistent Canonistae, edocti sacros Canones, quibus Ecclesiae externa disciplina exprimitur. Ideo Ecclesia praescripsit, ut Canonici sint quantum fieri potest Theologiae aut sacrorum Canonum Doctores, dicente S. Gregorio Magno „ab imperitis quomodo regimen animarum suscipitur, quando ars artium est regimen animarum“, quae eruditio si a quovis ad curam et regimen animarum deputato Sacerdote desideratur, quanto magis ac major divinae scientiae, et sacrorum Canonum cognitio requiritur in iis, quibus regiminis pastorum sollicitudo incumbit. Quia autem Canonici a Canone nomen habent, qui primitus a regula, quam

in communi observabant, etiam regulares dicebantur, quorum vita Canonica, institutio Canonica, aut religio Canonica appellata est; Canonici in custodia Canonum, atque observantia imprimis Clero praelucere obligati sunt, ut secundum Canones viventes nomini suo respondeant et eodem digni sint.

### § 131. De Capitulo et juribus ejus sede Episcopali plena, seu vivente et fungente Episcopo.

Capitulum est collegium Canonicorum, nomen habet a capite, quia olim qua regulares quotidie convenientes caput aliquod regulae canonicae legebant, hinc a capite, Capitulum. In quantum igitur collegium Canonicorum, seu Capitulum cathedrale Episcopi senatum constituit, Canones Ecclesiae praescribunt, ut Episcopus in negotiis majoris momenti jam consensum, jam consilium Capituli requirat. Et quidem consensum Capituli Episcopus requirit: 1) Si Episcopus auctoritate apostolica Coadjutorem sibi eligere velit juxta sacros Canones, et praesertim Caput unic. tit. de Clerico aegrotante in 6), idque obtinere potest tantum in dioecesis Roma dissitis, pro quibus ea concessio apostolica sonat; in reliquis enim dioecesis de jure communi Pontificis jus est aegrotanti Episcopo Coadjutorem denominare<sup>1)</sup> 2) ad surrogandos Examinatores Synodales<sup>2)</sup>. 3) Ubi de juribus et obligationibus Episcopatus, et de mutando Ecclesiae statu agitur, ut si Ecclesiae mobiles abalienari, op-

<sup>1)</sup> Vid. Reiffenstuel lib. 3. Decret., tit. VI. de Cleric. aegrot. a Nr. 39—45.

<sup>2)</sup> Decret. Clement. VIII.

pignorari<sup>1)</sup>. 4) Beneficia, quorum collatio ad Episcopum et Capitulum simul pertinet, conferre<sup>2)</sup>. 5) Numerum Dignitariorum, aut Canonicorum etiam honorariorum augere vel minuere<sup>3)</sup>, 6) non potest Episcopus sine consensu Capituli beneficia erigere, dividere, unire et suppressimere<sup>4)</sup>, 7) vel aliquem censura afficere. Si Capitulum sine causa consensum deneget, Episcopus ejus supplementum a sacra Concilii congregazione petere potest<sup>5)</sup>. Consensus exquirendus est a Canonicis capitulariter congregatis, qui juxta votum administris absolutae majoritatis enunciatus esse debet.

### § 132. De Consilio Capituli per Episcopum exquirendo.

Ambigi non potest, inquit Benedictus XIV. (L. XIII. de S. D. C. I. Nr. 5.), quin etiam hodie, jure Decretalium, Canonici Ecclesiae Cathedralis sint consiliarii nati Episcoporum; adeo, ut non liceat Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi, et deliberare, inconsulto Capitulo<sup>6)</sup>. Non tamen sequi tenetur consilium Capituli, nisi in casibus a jure expressis (§ priori). Nec tamen ideo frustraneum erit reputandum Capituli consilium: consulentium enim rationibus Episcopus instruitur, atque edocetur, ne

<sup>1)</sup> C. 2. 7. de donat. C. 1—3. 7. de his, quae fiunt a Praelato.

<sup>2)</sup> Ibid. C. 6.

<sup>3)</sup> S. C. C. in Fulginat. 26. Febr. 1639.

<sup>4)</sup> C. 8. 9. de his quae fiunt a Praelato.

<sup>5)</sup> C. 1. de Excess. Prael. et Gloss. ibid. Capituli 7. Bened. XIV. S. D. IV. 7. 10.

<sup>6)</sup> Alex. III. in Cap. Novit, de his quae fiunt a Praelat.

inconsiderate aliquid agat; qua ex causa etiam Romanus Pontifex non solet ardua negotia sine Fratrum suorum Cardinalium consilio decernere, quamquam sciat, supremae suae potestatis exercitium ab eorumdem assensu nequaquam pendere. Sicuti porro Cardinales, qua Assessores Papae, tenentur, quid coram Deo sentiant, ingenue aperire; ita Cathedralium Ecclesiarum Canonici ab Episcopo requisiti, debent mentem suam ea, quae utique decet modestia, sed pari animi sinceritate manifestare, etiamsi de rebus consulantur, in quibus sciunt, liberum esse Episcopo ab eorumdem Canonicorum consilio deviare. — Consilium vero Capituli cathedralis Episcopus exquirere debet, qnamvis non teneatur illud sequi

1) In institutionibus et destitutionibus beneficiorum<sup>1)</sup>.

2) In Clericorum ordinationibus<sup>2)</sup>.

3) In dispensationibus, inquisitionibus et condemnationibus Clericorum<sup>3)</sup>.

4) In indicendis publicis processionibus.

5) In publicatione constitutionum Synodi dioecesanae.

### § 133. Jura Presbyterii Cathedralis sive Capituli, Sede Episcopi vacante.

Canones orientales intra tres menses a morte Episcopi, Episcopum eligi jubent (Concil. Chalcedonense

<sup>1)</sup> Cap. Novit. 4. de his quae sunt a Praelat. sine cons. Capit.

<sup>2)</sup> Cap. Episc. sine consil. in 6. dist. 24. ibid.

<sup>3)</sup> Cap. siquid vero 23. dist. 86.

Can. XXV.) Interea vero Presbyterium, sive Capitulum Cathedrale in regimine Dioecesis succedit, et obligatur intra octo dies a morte Episcopi Vicarium generalem capitularem idoneum eligere, nisi malit Vicarium ab Episcopo relictum qua capitularem confirmare. Quodsi electionem Vicarii et quidem per vota absolute majora in pleno Capitulo incumbentem negligat, jus constitutendi Vicarium ad Metropolitanum devolvitur, jusque hoc sede Metropolitanana etiam vacante, ad Capitulum ejusdem transfertur. Quod si vero agatur de Vicario Capitulari Ecclesiae Metropolitanae, jus devolvitur ad antiquiorem Episcopum ex suffraganeis.

Ceterum potestas Presbyterii sive Capituli quoad jura Episcopi modo provisorio succendentis 1) non se extendit ad functiones ordinis episcopal. Potest tamen facultatem pontificalia munia exercendi alieno Episcopo concedere, 2) non succedit in eis quae sunt personalia Episcopi, seu quae ex speciali jure aut privilegio sacrae Sedis apostolicae eidem competunt, 3) non potest statum Ecclesiae vacantis immutare, aut in discrimin vocare, quare non potest alienare res servando servabiles, non oppignorare aut onerare, 4) potestas Capituli neque ad ea se extendit, quae usque denominationem Episcopi moram patiuntur, unde non potest beneficia conferre quae solum collationis episcopal sunt; non unire aut supprimere beneficia, non inchoare litem super bonis Ecclesiae extra casum inevitabilis necessitatis.

### § 134. De Officiis Canonicorum.

Capitulares sive Canonici varios titulos, dignitates et officia habent. 1) Praepositi Capitularis, quae est